Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-641916-p0001-8

~~Phil.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-50.
SIGNAT. cIↃIↃCCCXIII.

I. N. J.

COLLEGII BIBLICI ANTI-GROTIANI PRIMI

SUPER

ANNOTATA IN PENTATEUCHUM, ET LIBROS HISTORICOS V. T. GROTIANORUM, MAXIME IN LOCIS FIDEI, ET VATICINIIS PRÆCIPUIS,

ELENCTICA.

DISSERTATIO PRIMA ΕΙΣΟΔΙΟΣ

De Hugonis Grotii fide: & ratione, atq; indole Annotatorum ejusdem, adeoq; *fundamentis quibusdam Interpretationis Scripturæ S.*

Qvam DISPUTATIONIS ORDINARIÆ vicem
in Electorali Wittebergensi Universitate
proposuit

ABRAHAM CALOVIUS, D.P.P. Pastor,
Consist. Adsess. & Elect. Saxon. Superintend. General.

RESPONDENTE

M. PAULO PHILIPPO RöBERO, VVitteb.
Ecclesiæ Ortrantiensis Pastore, ac Inspectionis
Haynensis Adjuncto.

in Auditorio Majori ad diem VI. Maji.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
M DC LVIII

ELECTORALIS,

Qvod Dresdæ est,

PROTO-SYNEDRII

Præsidi Eminentissimo

VIRO

ILLUSTRI AC GENEROSO

DN. HAUBOLDO

à MILTITZ,

in Schenckenberg/Oberau & Scharffenberg/Serenissimæ Electoralis viduæ Consiliario & Aulæ Præfecto.

Nec Non

Cæteris ASSESSORIBUS & CONSILIARIIS gravissimis,

VIRIS

MAXIME REVERENDIS, MAGNIFICIS,

NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS ATQ; EX-

CELLENTISSIMIS

DN. JACOBO WELLERO

à Molßdorff/in Karsdorff &c. SS. Th. Doct. Celeberrimo, Serenisſimo Saxoniæ Electori à concionibus aulicis primariis, confeſsionibus ſacris, & Conſiliis Eccleſiaſticis.

DN. CHRISTOPHORO BULÆO,

SS. Theolog. Doct. famigeratisſimo, Eccleſiæ Dresdenſis ad Div. Crucis Paſtori & vicinarum Superintendenti vigilantisſimo.

DN. JOHANNI LUDOVICO CÖPPELIO,

in Klippenhauſen JCto eminentisſimo, & in negotiis Juliacenſibus Conſiliario,

DN. JOHANNI BARTHO-
LOMÆO REUSNERO,
J. U. Doctori celeberrimo, & Comitum Stol-
bergensium Consiliario,

Dominis Mœcenatibus ac Promotoribus
& respectivè Adfinibus suis,
Optimis Maximis,
Debitâq; Observantiâ & submissione
æternùm venerandis,

Hanc Disputationem Theologicam
Honoris ac Gratitudinis ergò
Reverentiâ,
Qvâ potest,
Humillimâ
L. M. Q.
Dicat, Consecrat

RESPONDENS.

I. N. J.

ANNOTATA IN PENTATEUCHUM: GROTIANORUM, MAXIME IN LOCIS FIDEI, ET VATICINIIS PRÆCIPUIS ELENCTICA.

DISP. I. PUBL. ORDINAR. R. M. PAUL. PHILIP. RŌBERO, Pastore Ortrantēsi Primario & Inspectionis Haynensis Adjuncto.

Περιπύλαιον.

§. I.

HUGO GROTIUS, *portentosi ingenii juvenis*, qvondam *Jacobo Gillioto Regis Galliarum in Senatu Parisiensi consiliario* dictus, *Johanne Meursio*, Athenis Batavis in *Scaligero*, teste, *portentosæ religionis Senex* fuit. Qvem jure *natrem Bataviam horrere, & haud credere, se sibi peperisse*, vates inscius prædixit *Daniel Heinsius* Epigrammate apud *Meursium* Athenis Batavis in *Grotio*. Ordini *Advocatorum* per qvam maturè Hagæ Comitis adscriptus, cum nempe ætatis annum *decimum & septimum* ageret, qvantum in causarum patrocinio profecerit non in *Fisci* solùm advocatione penes *Ordines Hollandiæ*, aut in *Syndicatu* civitatis *Roterodamensis*, aut in adserendo Batavorum jure *Indicani commercii* apud *Regem Britanniæ*, aut in regni Svedici causis apud *Regem Galliarum* demonstravit. *A foro, Republicâ, Regni negociis* ad *Ecclesiæ* dilapsus *causas*, subitoq; è *JCto* ac *Politico Theologus, solâ voluntate*, factus, qvid? *Controversiarum Religionis*, qvæ per seculum & ultrà decidi non potuere, *Conciliator & arbiter, Scripturæ* qvoq; *universæ interpres*, & dubiorum qvorumvis in eâdem, etiam ἀπείρων, καὶ ἀλύτων discusor, Patrocinio suo facilè se qvamcunq; religionem defendere posse credidit, & qvæcunq; elegerit placita, tueri: diversorum partes seqvutus, verè πολύμορφον πρᾶγμα.

Grotius portentosæ religionis senex.

§. II. In religione natus atq; educatus fuit *Calviniânâ*; cujus *Catechesin* qvondam contra ipsum Arminium defendit; *Andreâ Riveto* teste, in discussionis Grotianæ διαλύσει pag. 595. *Primum Calvinianus*,

Qvum v. *Remonſtrantes* à reliqvis Calvini diſcipulis in diverſum abirent, in nonnullis capitibus, eorum partibus, qvæ initio sanè haud paulò meliores erant, ſe addixit, ideoq; *Pietatem* etiam *Ordinum* Hollandiæ adverſus *Sibrandum Lubertum* defendendam ſuſcepit. Qvanqvam verò *Reformatis*, & doctrinæ eorum vehementer infenſus eſſet, imprimis', ex qvo carceri perpetuo ceu *Status Religionis & Politiæ perturbator* mancipatus, miroq; ſtrategemate inde liberatus fuit, admotus tamen Regni Svedici legationi conſilia de uniendis Reformatis cum Lutheranis, in gratiam, uti apparet, *Anglorum* agitavit, imò *hanc ſeſe concordiam ſemper vovisſe*, qvod mirari oportet, Anglorum Syncretiſtæ *Johanni Dureo* teſtatus eſt. *Optavi SEMPER* ſcribit Lutetiâ ad Eundem *XI. Septembr. Anno cIↃ IↃc XXXVII* apud *Rivetum Apologetico pro verâ pace Eccleſiæ p. 304. & optare nunqvam deſinam, ut, qvæ à Pontifice Romano gravisſimis de cauſis diſceſſionem fecere, Eccleſiæ, inter ſe propius animis & animorum conſpicuis teſtimoniis coaleſcant.* Qvale autem Grotii fuerit conſilium, è literis ad Eundem Dureum aliis, XXI. *Nov. ejusdem anni Lutetiâ* perſcriptis, manifeſtum eſt. *Ultrig; Angliæ Legato videtur, ut & mihi, ut conventus inſtituatur omnium, qvi ubig; ſunt, Proteſtantium, non ferre hæc tempora, per qvæ illis ne pax qvidem illa communis humanæ ſocietatis conſtat inter ſe. Optimum igitur fore, ut, ſicut amicitiâ inter ſe junguntur, brevi etiam fortè jungentur fœdere Svediæ Britanniæg; Regna; ita & eorum regnorum Eccleſiæ ſuæ concordiæ edant profeſſionem publicam, primumq; vicinis Svediæ Danis & Norwegis, deinde & aliis dent exemplum, qvod imitentur. Conſtituto ſemel tali Eccleſiarum corpore, ſpes eſt, ſubinde alios atq; alios ſe aggregaturos.* Totus ergò tùm Syncretiſmo Proteſtantium adverſus Pontificios deditus fuit Grotius: qvorum *CONSPIRATIONEM* illos *urgere*, ut in unum corpus coëant, oſtendit: operamq; non neminis, qvi *omnes Reformatos Pontifici Romano ſubjectos, & ſuperſtitiones plerasq; omnes ac dogmata, in qvibus continentur gravisſimæ cauſæ diſceſſionis ab eo incruſtet*, vehementer & prolixè iisdem literis improbavit.

Porrò Lutheranorũ & Reformatorum cõciliator.

adverſus Pontificios

§. III. Sed vix elapſum biennium, cum totus à ſe migravit

gravit Grotius, ac longè alia, imô prorsus contraria agitare consilia, eamq; negotiationē cepit, qvam *non procul abesse à præ-varicatione* anteà definiverat. Ne itaq; deinceps Papa Romanus *Anti-Christus* credatur, qvod negotiationi suæ maximè obstare videbat, *commentatione ad illustriora hâc de re vaticinia* Orbi persvasum voluit, qvod nemini hactenus, ne pessimis qvidem Romanæ Thaidos parasitis per somnium in mentem venit, loca illa, partim ad *Caligulam* & *Simonem Magum*, partim ad *Barcochebam*, & *Domitianum*, partim ad *Apollonium*, & *Trajanum* spectare, ad qvos ipse, miro & portentoso commento, ea detorsit. Tum v. progressus ulterius, pleraq; Papalia βδελύγματα excusare, incrustare, aut defendere tentavit, curiæq; Romanæ advocationem *coronæ Svedicæ*, Augustanæ Confessionis propugnatricis fortissimæ, *legatus*, in se suscepit, editâ *Appendice de Anti-Christo*, qvâ superstitiones & dogmata Papalia magnam partem propugnantur, aut novis ornantur coloribus. Tutius tamen suæ personæ, qvam sustinebat, credidisse videtur, si ante omnia *moderatoris* partes susciperet, qvapropter, qvum omnia se posse per ingenii felicitatem, etiam, qvæ hactenus impossibilia fuêre, putaret, conciliationem religionis *Pontificiæ* cum *Augustanâ Confessione* meditatus, *polum Arcticum cum antarctico copulare* laboravit, *Annotatis ad consultationem Cassandri de articulis Augustanæ Confessionis*, aliisq; eam in rem editis. Non ignorabat, frustrâ in ejusmodi operâ *Cassandrum Belgam* fuisse; frustrâ *Vicelium Germanum*, utrumq;. ab Imperatoribus, meliore sanè tempore, adhibitum; nec nisi infelici exitu eruditissimum *Spalatinum* Archi-Episcopum hoc saxum volvisse; in eo tamen ipse, *professione Juris-Consultus*, *functione Regni Lutherani legatus*, nullâ ad id vocatione, nullâ agendi facultate instructus, laborandum duxit, *pretium*, qvod de nostro desperabat ævo, *à grata posteritate* sibi pollicitus. Operam *Virum Magnum* ludere, *Animadversionibus* eruditis ad *annotata Grotiana*, aliisq; scriptis, qvibus easdem adversus Grotium *secundò* & *tertiò* defendit, *Examine* nempe, & *Apologetico*, luculenter demonstravit *Andreas Rivetus*, septuagenarius Reformatæ partis Theologus; sed nihil

Paulò post Romanensibus addictus.

Sub personâ moderatoris.

aliud tot ſcriptis profecit, qvàm ut apertè deniq; ſuperſtitiones
Sed Papi- Papatus univerſas, *diu partium abblandientium æſtu jactatus,*
ſticæ partis ſuas faceret, ac qvum anteà ineptus moderator, inter media
cauſam a- pacis Eccleſiaſticæ; *Bullam Pii IV. Rom. Pontificis, ſuper formâ*
gentis. *juramenti profeſſionis fidei*, primo loco conſtituerit, ſcripto no-
viſſimo *Apologetici diſcuſſione* Jeſuitis tandem argumentum præ-
beret, *Grotianum Teſtamentum* concinnandi, qvo auctorem non
tantùm ad partes Pontificiorum inclinaſſe, ſed *apertè tranſitu-*
rum fuiſſe, orbi perſvaderent, *niſi Deus eum talia cogitantem de-*
latum ad eas provincias, è qvibus Romana Religio exulat, è me-
dio ſuſtuliſſet. Qvod augurium ne vanum, aut à futili Papiſta-
rum jactantia profectum credamus, cum aliis multis, literæ,
qvas ad Dionyſium Petavium Jeſuitam dedit palam teſtantur.
Agmen illæ claudunt in ſecundâ Epiſtolarum ad Gallos editio-
ne, qvas, qvia breves ſunt, & totæ huc faciunt, adſcribam in-
tegras. *V. R. DIONYSIO PETAVIO, inſigni Theologo. Reveren-*
de Domine, SÆPE tibi moleſtus eſſe COGOR, & ad OPEM
ANTEHAC FELICITER MIHI COGNITAM REFUGERE.
Poſtremo libello meo pro pace ſcripto oppoſuit Rivetus Examen,
qvod mitto, ſed poſtremis paginis mutilum, qvas tradidi D. Mille-
terio, qvia ad eum pertinent. Sumſi hanc ultimam operam, mea
antehac dicta, & famam qvoq; à MINISTRIS allatratam tuendi.
In eo ſcripto (de Examine Riveti loqvitur) *ſi qvid eſt, aut CA-*
THOLICIS SENTENTIIS DISCONGRUENS, aut cæteroqvi à
VERITATE alienum, aut minus idoneum ad Pacem, de eo abs te
viro eruditiſſimo, & cujus judicium plurimi facio, MONERI per-
cupio. Rogo permittas mihi LUMEN DE LUMINE accendere.
Lutet: XVI. Aug. cIↃ IↃc XLII. Haud obſcurum eſt, Grotium
fidem implicitam tùm foviſſe: qvicqvid enim Catholicis ſen-
tentiis congruum aut *diſcongruens* ſit in Riveti ſcriptis, à Je-
ſuita demum cognoſcere, eoq; nomine ad opem ipſius REFU-
GERE neceſſum habuit, ut ſibi lumen fidei Catholicæ de lu-
mine Jeſuitico accenderetur: neq; id ambiguum eſt, cum qvibus
conſpirarit noviſſima ætate: cum *Jeſuitis* nempe, cum *Mille-*
terio ab ipſâ Sorbonâ damnato, horumq; ſimilibus; aut qvo-

rum

rum vitulâ araverit in refutandis Riveti ſcriptis: coactus enim fuit moleſtus eſſe Petavio Jeſuitæ, & ad opem ejus refugere, eúmq; rogare, ut lumen de lumine accendi pateretur: cujus etiam operâ in prioribus ſcriptis, uti in hoc, qvod ultimum tùm decernebat, etſi ultimum non fuerit, ſeſe uſum haud diſſimulat, cum *opem, feliciter ſibi antehac cognitam*, deprædicat, unde facilè perſvademur, etſi fortè ſcripta illa non ita ſub *Grotiano* nomine prodierint, uti ſub apoſtatarum, ſæpè rudium, nominibus Jeſuiticæ operæ emitti ſolent, magnam tâmen eruditionis Theologicæ Romano Catholicæ, qvam præ ſe ferunt Grotiana iſta, Petavio, & ſimilibus luminibus Papiſticis, acceptô ferendam eſſe. Ut Grotium vix in Grotio reperias, aut certo â Jeſuitâ dignoſcas. Qvalis etiam illa pax, qvam cum Proteſtantibus poſtremâ ætate ſuâ ambiit Grotius, cenſenda ſit, ex eo manifeſtum eſt, qvod eandem, & qvicqvid ad illam idoneum haberi debeat, â judicio Jeſuitarum, ceu paxillo ſuſpenderit, â qvibus Proteſtantes non magis pacem ſibi, qvam *oves à lupibus, vel ab Hyænâ*, promittere poſſunt. Exiguam tamen gratiam reportaſſe hunc *Pacificatorem & Advocatum* penes illam partem; cujus cauſam unicè egit, exemplo ſuo *P. Franc. Maria de Monaco congreg. Cler. Reg. Theatinorum* libro de unitate Fidei, &, qvi illum laudat, *Henricus Dormalius Leodius Explicat. in Poëmata Maphæi Barbarini* docuêre: qvorum *ille*, juxtà *hujus ἐπίνεσιν*, à *vices gerente, & Magiſtro Palatii* approbatam, ſcripta Grotii, dum adhuc vivebat, & apud Regem Galliarum legatione fungebatur, *veritatis ſtylo diduxit & induxit.*

Parum Papiſtis gratus.

§. IV. Nec verò Papatus ſolùm cauſam deſperatam meliorem advocatione ſuâ fieri poſſe ſperavit, ſed qvum ingenium ipſi tam amplum fuerit, qvod nullis religionis terminis coarctari poſſet, infauſti etiam *Socini*, (adverſus qvem *fidem Catholicam de ſatisfactione Chriſti* qvondã defenderat, cujusq; hæreſin talem dixerat, *ad cujus mentionem pii omnes exhorrerent*, cujus *furores, cum Servetianis & Samoſatenis*, palâm deteſtatus erat,) impia dogmata, fidei Catholicæ ê diametro adverſa, adeoqve hæreſes, & furores publicè excuſare, imò incruſtare haud

Adhæc Socinianorũ Advocatus

dubitaret. Ita ergò neq; *Tyrannidem Papisticam*, neq; *effrenem licentiam Sociniſtarum*, qvam utramq; olim accuſârat, patrocinio ſuo indignam cenſuit. Fidem autem Eccleſiæ univerſæ de ſatisfactione Chriſti contra adverſarium, qvem nactus erat ſatis acrem, *Joh. Crellium* tueri religio ipſi fuit, aut certè ſuâ id indignum judicavit perſonâ. Qvomodo *Servetum* excuſârit à *difficultate dogmatis de Trinitate, qvod ad emendationem morum nihil pertineat*, qvomodo hæreſin ejus extenuarit, qvod *divinas perſonas ſolùm non benè diſtinxerit*, *Annotata in Caſſandrum*, & *Votum Grotii* docuere. Cùm *Samuel Mareſius* diſſertatione de Anti-Chriſto Romano Grotio oppoſitâ dixiſſet, *Grotium, etſi in plurimis videatur cum Socinianis ſentire, fortè conceſſurum, Photinianos & Socinianos Anti-Chriſtos eſſe, æternam Chriſti divinitatem negantes*, hæc ſolùm, qvæ ſeqvuntur, repoſuit in Appendice; *Socino me non in OMNIBUS conſentire, ſatis patere exiſtimo. Si idem eam doctrinam, qvæ ad pietatem vel maximè neceſſaria eſt, vel ex Scripturis vel ex antiqvitate hauſit, vel qvocunq; modo in eam incidit, nihil ea doctrina ob id deterior facta eſt. Ego qvid de operum non minùs, qvam Fidei neceſſitate ſentiam, non Socini verbis, ſed Apoſtolorum, & eorum, qvi Apoſtolos qvàm proximè imitati ſunt, verbis expreſſi. Nec in hac re qvempiam contradictorem reformido. Dei cauſa multò magis in hoc agitur, qvâm in illis, qvæ multi αὐθαδῶς audacter & periculosè ſæpè tractant, ἃ μὴ ἑωρακεν ἐμβατεύοντες.* Defenſores myſterii de SS. Trinitate αὐθαδῶς dixit, ἃ μὴ ἑωρακεν ἐμβατεύοντες, in *iis* occupatos, *in qvibus non ita Dei cauſa agatur, qvàm cùm Socini doctrina de fide & bonis operibus propugnatur.* Socinianos verò Grotium inter præcipuos fautores & amicos numeraſſe, ſe ſcire, non Rivetus ſolùm teſtatur, ſed apographum etiam literarum, Regiomonti Borusſorum, Anno, ſi rectè recordor cIↃ IↃC XL. cùm adhuc in Profeſſione Theologicâ ibi agerem, mihi monſtravit *Andr. Canowsky, nobilis Polonus, Sereniſſimi Electoris Brandeburg. Miniſter*, qvibus Johanni Crellio Grotius, non ſecus, atq; *Paracelſus*, apud Riolanum, *Diabolo* gratias egit, qvod oculos ſibi aperuerit. Fidem tùm apographo, & qvi id exhibe-

exhibebat, homini Sociniano adhibere vix poteram, sed cùm *postrema* viri *scripta* prodirent, facilè illis fidem conciliare videbantur. In his enim ita gratificatus est Hugo *Socinianis*, ut imprimis in pervertendis Scripturæ testimoniis, insinuandisqve sectæ impiæ dogmatibus pro *advocato* ejusdem minimè postremo habendus videatur. Qvod in *Annotatis ad Vetus & Nov. Testamentum* maximè deprehendere licet.

§. V. *De divinitate Christi non procul abesse* ipsum *Ario & Socino*, Samuel Maresius ex Annotatis ad Evangelia, qvæ Anno cIↃ IↃc XLI. prodiére, judicavit. Neq; vanum hoc judicium censeri debere, evolutio eorundem docebit. Qvamvis enim προϋπαρξιν ante temporalem nativitatem non neget, qvâ ὁμοσίαν tamen Filii Dei longiûs à *Catholicis*, qvàm ab *Ario & Socino*; in qvantum hic illi conspirat, abire videtur. Jam si *Annotata ad Vetus Testamentum* jungantur, nec non *Posthuma ad reliqvos Novi Test: libros*, longè plura & luculentiora habebuntur testimonia approximationis Grotianæ in hoc articulo, ad confinia Socinianismi. *Qvibus parum abest de ὁμοσίᾳ*

§. VI. Qvomodo verò articulus de *satisfactione Christi* sincerè credi potest, si æterna ejus Deitas non credatur indubitato? Ideò cum de illa dicere debuit, in novissimo scripto, *discussione suâ* saltem, *Christus*, inqvit, *est justitia nostra, qvomodo idem est nostra sanctificatio, id est, causa in nobis tùm justitiæ, tùm sanctitatis.* Qvod nemo Socinianus negat. Et qvamvis *satisfecisse Christum pro hominum peccatis, doctrina*, inqviat, *est vera & catholica, sed mirè à Calvino & eum seqventibus depravata, ita ut error eorum errore Socini hâc in re sit periculosior*, non tamen qvis & qvantus hic sit error Socini explicat. Satisfecisse Christum *divinæ voluntati pro peccatis nostris*, se credere protestatur etiam Crellius confutator Grotii, in præfatione, itaq; judicio Grotii, utut errore aliqvo hîc adhuc implicetur, *non abit* tamen *à fide Catholicâ*. Nec aliâ ratione vel satisfactionem vel meritum Christi explicat Grotius, qvâm qvæ Socinianis grata esse possit. *Satisfecit pro nobis Christus generatim, qvia passione suâ jus acqvisivit, se per Christum conversuris. Part*

& de satisfactione ejus.

mode

modo meritus est Christus jus ad gloriam sanctè victuris. Qvæ ultrò admittit Socini schola, etsi ea, qvæ addit, *se conversuris*, id est, *Deo satisfacturis pro criminibus suis*; Et, *sancti ipsi merentur id jus ad gloriam*, Syncretismi Socinianorum cum Papistis gratiâ addita videantur; qvi verò nemini vel Sociniſtarum, satisfactiones & merita omnia reprobantium, vel Pontificiorum à Socinianis prorsus abhorrentium, (qvibus etiam Grotianum dogma, *per baptismum & preces illam satisfactionem Deo fieri*, novum prorsus atq; inauditum est,) probari poterit. Et in qvorum, nisi *Socini*, & seqvacium gratiam, negat satisfactionem & justitiam Christi imputari, asseritq; *fidem illam, qvæ tantoperè prædicatur, hanc esse, qvâ credimus Christum passum, mortuum, & excitatum à mortuis, ac PROPTEREA vera esse, qvæ is Dei nomine sive præcipiendo, sive promittendo nobis attulit.* Annon hæc Socini lucernam olent; *credere Abrahamo imputatum est ad justitiam*, id est, *pro magnifico facto id habitum est, non qvod Messiam credidit, pro peccatis ipsius mortem toleraturum, qvod an noverit, hic non disputabo, sed qvod Deo vocanti & jubenti confisus est?* Plura ejusmodi, qvæ Socini Spiritum Grotio perqvam familiarem fuisse, demonstrent, ex notis in auream ad Romanos Epistolam, *Theologiâ Apostolicâ Romanâ* in præfatione, jam ante decennium, produximus.

§. VII. Mirari autem necesse est, qvomodo *Arminii, Socini & Papæ* spiritus uno in Grotio simul habitarit, sine discordiâ. Qvum neq; *Papa* Socini, aut Arminii hæresin ferat, sed anathemate feriat, & *Socinus*, ut & *Arminius* qvosvis potiùs, qvàm Papam & Papistas in communionem suam admittant! Qvanqvam non Sectarum tantùm, qvæ Christiano dealbatæ sunt nomine, sed *Judæorum* qvoq;, Christiani nominis hostium, spiritu regi sese passus fuerit Grotius, qvum undiqvaq; fermè in *fidei testimoniis & oraculis Propheticis*, cum Socino, Rabbinorum glossæ in Annotatis ejus obtineant, ac triumphent, ut *plurimùm interpretationibus illius debere Judæos & Socinianos*, non abs re judicarit Rivetus.

Judæorum etiam Patronus.

§. VIII. Diffi-

§. VIII. Difficile autem omninò pronunciare, *cujus Cujus religionis* Hugo fuerit ætate novisſimâ! *Nullarum partium hominem* fuiſſe, ſed *è diverſis ſectis novam erigere voluiſſe, præfatione in Theologiam Romanam* cenſui, neq; adhuc aliter cenſere poſſum; ſiqvidem *Arminianiſmum*, &, in qvem ille degeneravit, *Socinianiſmum* non exuerit, *Papiſmum* autem è converſatione cum *Jeſuitis*, qvorum *conſiliis* ſe *uſum* fatetur, contraxerit, uti è *lectione Rabbinorum* opinionibus & gloſſis eorum ineſcatus fuit, ut *Sociniano-Judizantem Papiſtam* deniq; exhibuerit, hoc eſt, *novum monſtrum* orbi hactenus incognitum, jure *Indicorum* commerciorum fortè in Europam traductum. *Mareſio* viſus eſt Anno cIↃ IↃc XL. *Evangelicorum nomen habere, Remonſtrantium Pelagianiſmum, Photinianiſmum Socinianorum, Anti-Chriſtianiſmum Papiſtarum*, (addo, *Judaiſmum novorum Rabbinorum*, qvi deinceps ſeſe prodidit) *ut ſphyngem novam, ex his omnibus confectam fingere conſpiciatur diverſum Panthera genus confuſa camelo.* Qvæ cauſa ſine dubio fuit, qvod *cum aliis communicare per Symbola neceſſum haud eſſe*, ſcripto publico aſſeruerit, diuq; cum aliis haud communicarit, qvia ſc. alios ſibi in religione ὁμοψήφους nuſpiam reperire potuit.

§. IX. Qvis ei fuerit exitus, verbis *Dn. D. Joh. Qvistorpii Facultatis Theologicæ Roſtoch. Senioris p.m.* XIIX. Octobris Anno cIↃ IↃc XLV. ad me perſcriptis, exponam. *Hugo Grotius æger ad nos ex Sveciâ, poſtqvam in Caſſubiæ finibus naufragium paſſus eſſet, delatus eſt. Me adſe vocari curavit. Acceſſi, in agone fermè conſtitutum offendi. Ut ad beatam emigrationem ſe componeret, monui. Peccatorem ſe confitebatur, & in ſolo Chriſto omnem ſuam ſpem repoſitam eſſe adſerebat, atq; ita ſupremum vale mundo dicebat.* Optandum, ut agnitis graviſſimis erroribus ac ſeriò deploratis ſcandalis, Eccleſiæ datis, verâ fide unicum θεάνθρωπον meritum apprehenderit, (qvod ex *generali* ejusmodi profeſſione, ſub qvâ *Arminianum*, *Papiſtam*, *Socinianum*, *Arianum* qvemq; latere poſſe certum eſt, profectò non liqvet) ne qvi naufragium honorum in Svediâ, bonorum & vitæ in Caſſubiâ paſſus, ſalutis naufragium in mortis umbrâ pati neceſſum habuerit.

Exitus Hugonis.

buerit. Riveto sanè videtur(Dial.p.596) ἐμπύεσιν ἀπείλης & totus *infermento jatens; imò in felle amaritudinis ad plures abiisse, nullo, qvod constet, pœnitentiæ signo exhibito; multò minùs satisfactionis,* qvam necessariam judicavit ipse, *post calumnias & obtrectationes, livorem & odium in proximos: justo Dei judicio accidisse, ut qvi irridebat voces Ministrorum Christi peccatoribus in extremis jacentibus promittentibus, si seriò resipiscerent & contriti essent ob peccata commissa, Deum paratum esse eis remittere & condonare, non potuerit audire eum, qvi accesserat, ut Evangelicum nuncium ei suggereret.* Addit verò; *se tamen non judicare alienum servum, qvi Domino suo stetit & cecidit.* Nos judicium Domino qvoq; committimus: etsi monitum illud Apostoli Rom. XIV. non à verâ fide alienos, sed fratres in fide ὁμοψήφους, eidem Domino servientes, concernat.

§. X. Id verò summoperè dolendum est, qvod apparatum illum eruditionis omnigenæ, qvem ad Annotata in Vetus & Novum Testamentum vir illustris attulit; in *locis fidei præcipuis, ac vaticiniis clarissimis,* non tàm ad fidem Christianam & Catholicam adserendam, qvàm ad corruptelas *Rabbinorum & hæreticorum* multivarias incrustandas adhibuerit. Qvum enim in multis præclarè, ad verborum emphasin explicandam, ad sensum textus eruendum, ad historiam illustrandam, dubiaq; varia discutienda, Ecclesiæ inservierit inusitata Viri doctrina, in iis tamen, qvæ potioris sunt κύρματος, & fidem concernunt, imò fundamentum ipsum fidei & religionis, gratificari fidei hostibus ita voluit homo, judicio S. Petri ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτος, ut in usum vocatis multivariæ literaturæ fidiculis, atq; eqvuleis Scripturas sanctissimas miserum in modum, veluti Judaico atq; hæretico spiritu agitatus, detorserit ac depravârit. Cujus rei specimina nec pauca nec obscura, ex annotatis in præcipuam Apostoli, qvæ ad Romanos exarata est, Epistolam, aliâs produximus. Ex usu autem Ecclesiæ fuerit, ut loca universa depravata, ex Annotatis Grotianis, qvæ multorum teruntur incautis manibus, vel per syllabum designentur tantùm, vel annotatis elencticis vero restituantur sensui. Qvod ab aliis majori

Institutio.

jori apparatu instructis, nec tantis districtis laboribus expedi-
ri, non semel optavi. Video etiam nunc, Veteranum Theolo-
gum Reformatum, qvem aliqvoties laudavi, similia expetiisse.
Dialys. p.504. *Audaciam illam*, inqvit, *alii fortassè redarguent,*
qvâ Grotius Propheticos libros in præcipuis eorum de Christo ora-
culis ita deformavit, qvasi ab hostibus Christiani nominis ad id fu-
isset conductus. Et paulò post iterùm: *Exorietur aliqvis, si jam*
non ortus fuerit, & ad sacrum illud bellum accinctus, qvi corrupte-
las omnes illas, qvibus S. Scripturam multis modis pervertit vir
ille, ad examen revocabit, & necessariis antidotis venenum istud
propellet. Exortus autem, qvantum mihi qvidem constat, nul-
lus adhuc est, qvi hoc sive è Reformatis, sive nostris Theologis in
se susceperit: ideò ne deesset saltim *Philologiæ* delitiis sese ob-
lectantibus, aut illis etiam, qvi *Exegeticis* S. literarum *operis*
vacant, hæc talia uberiùs indagandi occasio, pleraq;, in qvibus
ἰδία Φίλυσις Grotiana mihi observata, qvantum per officia
cætera, & alia, qvæ sub manibus sunt, Disputationibus Audi-
torum, ac Sententiarum collationi, Academiæ Nostræ, atq; Ec-
clesiæ Bono, subjicere placet, imprimis qvoad *fidei loca*, in qvi-
bus juvare adversarios commentis suis, aut Ecclesiæ & ortho-
doxorum interpretationem enervare, vel suspectam solùm atq;
incertam reddere; nec non qvoad vaticinia etiam prophetica,
qvæ Nucleo suo præcipuo, *Messiâ, bonisq; ejusdem spiritualibus*
& cœlestibus privare, aut gemino inducto sensu dubia facere
conatus est. *Adsit proposito Pater luminum, ac verbi sui sanctis-* Jac. I, 17.
simi, qvod μαρτύριον Jesu, nobis autem θεμέλιον fidei unicum esse Ap. XIX, 10
voluit, sensum genuinum, menti suæ per omnia consentaneum, Eph II, 20.
qvemq; nemo principum hujus mundi cognovit, revelet nobis per 1. Cor. II, 8.
Spiritum suum, ut sciamus imprimis, qvæ Deus gratificatus est no- 13.
bis, & adseramus ea non sermone, qvem humana sapientia, sed qvem V. annot.
sanctissimus Christi docuit Spiritus, exponentes ea, qvæ Spiritus Grot. ad
Christi in Prophetis prædixit, per ea, qvæ Christus ipse Spiritu sub v. 13.
nobis aperuit, ad *Nominis sui gloriam nostramq; salutem!* 1. Pet. I, 11.

DISSERTATIO
ΠΑΡΑΣΚΕΤΑΣΤΙΚΗ.
DE PRÆFATIONE GROTIANA.

§. I. PRæmonuit Grotius Lectorem de *versione latinâ, textu Ebræo, versionibus aliis qvibusdam & commentariis*; nec non de *hâc annotationum suarum operâ in lege & Prophetis*: Ad versionem *Latinam pridem receptam* adjecit notas suas, *qvod semper eam fecerit plurimi, non modò, qvod nulla contineat dogmata insalubria, verùm etiam, qvod multum in se habeat eruditionis.* Non exprobrabimus nunc vulgatæ, qvod *Erasmus* alicubi habet, qvem magni facit noster, si qvis percontetur; Gallus fuerit, an Sarmata, Judæus, an Christianus, Vir, an mulier, nil habituros ejus Patronos, qvod expeditè respondeant: non qvod Cardinalitiâ conspicuus mitrâ Jesuita, omnium sui ordinis facilè præcipuus, Bellarminus, *vulgata editio non est uniius autoris, sed qvædam habet ex Hieronymo, qvædam ex Luciano, qvædam ex alio qvodam interprete innominato; Stultum autem videtur dicere, Theodotionem hæreticum non potuisse errare & etiam Hieronymum nuspiam errasse*: l. II. de V.D. c. XI. qvæ sanè versionis vulgatæ auctoritatem parum ornant, aut commendant. Mereatur *Vetus* (non diffitemur) laudem suam; sed *qvænam* illa sit *pridem recepta*, an *Sixti V.* num verò *Clementis IIX.* editio, non definivit Grotius. Pugnant autem illæ inter se; bello irreconciliabili. Qvam litem præcedentium Pontificum, qvia uterq; suam editionem Bullâ muniit, (etsi *Clemens* sublatâ *Sixti* bullâ, suam surrogârit, eamq;, per crimen falsi, Sixti venditarit nomine) nunqvam poterunt seqventes decidere. Nullam ergò habebunt unqvam versionem Papistæ, nullam habent, qvi Papæ judicio obnoxii sunt, cum Grotio, qvam *pro pridem receptâ* agnoscere qveant, imò dum discrepantes versiones authenticas habent, reapse nullam habent: qvum plus unó verum esse non possit. Nec verò in paucis, aut leviculis illæ inter se discrepant; imò judicata sunt errata Sixtinæ editionis tanti momenti, ut *Gregorius XIV.* teste *Jacobo Fuligatto*

De vulgatâ versione Latinâ.

gatto in vitâ Bellarm. l. I. c. 9. ex consilio Cardinalis Bellarmini, *Sixtina Biblia de integro repurganda* duxerit, *conferenda singula ad antiqvas editiones, ad M.S. exemplaria, & ad Commentarios Patrum*; idq; negotium cum Bellarmino, M. Antonio Columna, & Alano; Cardinalibus, aliisq; qvatuor commiserit, qvorum operâ, Clementis IIX. autoritate, prodiit nova editio, in Sixtinâ, ultrà *bis mille* textus ad fontes Ebræos & Græcos refingens & conformans. Ut non nisi dolosè in *præfatione*, Clementinæ præmissâ; cujus auctor Bellarminus fuit, præli tantùm *vitia in editionem Sixti* irrepsisse, ac *iteratâ diligentiâ indigu-isse*, prætexatur; reclamante etiam ipsâ Pontificis Bullâ, utpote qvâ *suâ ipsius manu, si qva prælo obrepserunt vitia, se correxisse*, (qvantam in eo adhibuerit *Sixtus* diligentiam, docet *Angelus Rocha* Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, testis αὐτόπτης in Bibl. Vatic. pag. 219.) profitetur, adeoq; mandat, ut *omnes editionem suam pro verâ legitimâ, authenticâ, & indubitatâ recipiant*. Sed de his aliàs.

§. II. Utra autem eligatur editio, *laudem Grotii* non assequetur, sive *dogmata* spectes, qvæ in Scripturâ authenticâ non modò *nulla insalubria* esse debent, sed nulla etiam *à vero aliena*; sive illam *eruditionis* gratiam, ob qvam aliis versionibus præferri hæc maximè debeat, imò ipsi textui Ebræo, qvem etiam postponit Grotius. *Dogmata à vero aliena*, imò *insalubria*, cum *vitiis innumeris & enormibus* eruditionis tantæ decori non convenientibus, in versione vulgari demonstrarunt plurimi, cùm nostræ, tùm Reformatæ partis Theologi. Qvæ perseqvuti etiã prolixè sumus in *Critico sacro* à pag. 502. ad 667. *Errorum in fidem & mores* impingentium, adeoq; *insalubrium Novem* ibi *classes* produximus, & inter eas, cum sub nomine veritatis divinæ *fabulæ & commenta* obtrusa in vulgatâ, credenda, cum *falsæ opiniones* incrustatæ, cum *divinæ constitutiones labefactatæ*, cum *loca fidei enervata*, cum *hæreses confirmatæ*. Nolumus actum agere.

§. III. Neq; parùm derogat huic encomio suo Grotius, qvo dubio procul eandem, in gratiam *authoritatis* à Tridentino

Concilio ipsi asignatæ, hoc est, *authenticæ*, mactavit, cùm *dicendi genus satis horridum*, & *sensum minùs clarum*, qvi *ex Ebraicis libris, qvales nunc habemus, aliisq; versionibus clarior redatur*, agnoscit, & cùm subinde Eandem in annotatis corrigit, ac Ebræum textum præfert. Non conveniunt ista *Concilii* decreto, qvod vult, *ut vetus & vulgata versio in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, aut EXPOSITIONIBUS pro authenticâ habeatur, qvam nemo QVOVIS PRÆTEXTU rejicere audeat vel præsumat.* ULLO Prætextu dici debebat, ita de sensu decreti contentiones tantæ non fuisent exortæ. Cæterùm sive illud *absolutè* accipiatur, uti *Menochius*, â Grotio imprimis commendatus, cum *Pinedâ*, *Gregorio de Valentiâ*, *Ludovico de Tena* accepit & accipiendum, *Cardinalium congregatio* Anno clɔ Iɔc LXXVI. definivit; seu tantùm *restrictè & comparatè*, ut *respectu aliarum versionum* hæc authentica, & saltim *in regulis fidei ac morum nunqvam devia* agnoscatur, qvæ *Bellarmini*, *Marianæ*, *Lindani* & aliorum est interpretatio, qvam etiam intendere videtur Grotius, cum versionem illam solùm *nulla insalubria*, h. e. in fidem & mores impingentia dogmata continere affirmat, de qvâ differenti Decreti explicatione acerrimæ concertationes & pugnæ in *Hispaniâ*, de qvibus prolixè conqveritur *Mariana Jesuita Hispanus* tract: de vulg. edit. c I. viguere, neq; ulla à Papâ fieri adhuc potuit decisio, ut nondum adeò in Papatu constet, *annè habeant Biblia per omnia authentica, an verò minus solùm, qvam alii, corrupta!* qvalia haberi possunt, etiamsi in *innumeris locis* corruptissima sint. Qvâcunq; tamen istud decretum interpretentur ratione, *norma* constituitur *aliarum Versionum*, *textusq; Ebræi*, qvalis nunc habetur. Cui institutum Grotianum minimè convenit. Qvomodo enim versio illa haberi potest pro aliarum versionum normâ, aut Ebræo textui præferri, qvæ modò ex Ebræo textu, modò ex aliis versionibus corrigenda est, indeq; lucem mutuari necesse habet? Qvia verò nonnunqvam etiam corrigit Grotius Ebræum textum è vulgatâ versione, addimus *Joh. Drusii* hâc de re judicium. *Non malè*, inqvit, *meo judicio, Patres Concilii Tridentini receperunt in scholis*

ſcholis interpretem vulgatum. Nam ut errores aliqvos habeat, habent & alii ſuos & fortaſſe plures, qvàm ille. Verùm ex eo corrigere veritatem Hebraicam, ſi licet ſcapham, ſcapham dicere, eſt cum ratione inſanire. Nam ubi veritas, ibi nullus error, ubi nullus error, qvid opus correctione? Aut igitur nulla eſt Veritas Hebraica (ſic eam appellant Patres & Scholaſtici) aut ex eo emendari debet, qvod malè translatum. Saniores ſunt ex ipſis Papiſtis non pauci, qvi etiam poſt Concilium Tridentinum Ebraicam veritatem præferunt, &, ut ab iſtius fulmine tutis ſibi eſſe liceat, hoc ſe tuentur ſcuto (qvod qvàm ſecuros ipſos præſtet, aut præſtare poſſet, hîc non eſt dicendi locus) non conferri cum textu Ebræo vulgatam, nedum præferri eidem, comparari ſolùm cum aliis Latinis translationibus, iisq; meliorem cenſeri: Qvod *Alphonſus Salmero*, unus è decem primis ſocietatis Jeſu Theologis & ex ipſis aſſeſſoribus concilii Tridentini, prolegom. in S. Evangel. *Nicolaus Serarius*, *Julius Rugerius* de libr. canon. *Philippus Grammacheus*, *Valerianus Flavignius*, Theologi Sorbonici, *Johannes de Espieres*, *Simeon de Muis*, & alii aſſeruére. Expectatur & in hâc cauſâ adhuc è ſerinio Papalis pectoris deciſio.

§. IV. *Ebræum textum* diſtingvit Grotius, *qvalis nunc habetur operâ Maſoretarum, & qvalem olim habuére LXX. Interpretes*; cum Papiſtis modernum textum corruptionis poſtulans, qvod paſſim in annotatis ejus videre eſt. At textum *originalem* & *authenticũ* Scripturæ, qvam Deus voluit perpetuam normam eſſe Eccleſiæ & fundamentum fidei, corruptum eſſe, *corruptione univerſali*; qvæ omnes codices penetrarit, pugnat cum providentiâ divinâ, cùm fine atq; intentione Dei, & cum *proteſtatione Chriſti Matth. V, 18.* qvod prius cœlum ac terram interire oporteat, qvàm vel *unum jota* aut minimus *apex* de Verbo Dei pereat. Tùm ſi *ante Hieronymi tempora* corruptus textus Ebræus fuit, qvomodo è corrupto textu verſio incorrupta tranſumi potuit? Si *poſt* Hieronymi tempora accidit corruptio, qvod pletuit? Si *poſt* Hieronymi tempora accidit corruptio, qvod plerisq; Papiſtis videtur, num *malitiâ Judæorum*; an verò ſolâ *incuriâ Librariorum* eandem evenisſe dicturus eſt Grotius? *Illud* ſi eligat, opponent alii è Pontificiis, Judæorum adverſus libros ſacros *De textu Ebræo.*

ſacros religionem, eorundemq́; , per orbem terrarum diſperſionem, codicumq́; Chriſtianorum multitudinem, ut neq́; voluerint, neq́; potuerint Judæi textum depravare, ac negocium erit ei cum *Johanne Iſaaco, Marco Marino, Franciſco Riebera, Driedone*, ipſoq́; *Bellarmino*. Sed non arguet, credo, Grotius Judæos perfidiæ, qvibus plurimum ipſe tribuit. Si autem *incuriâ librariorum* accidit corruptio, qvî eadem in omnes codices ita penetrare potuit, ut nullum incorruptum exemplar ſuperet? Et qvum textum, qvem nunc habemus, *operæ Maſoretarum* adſcribat Grotius, qvomodo ſuſpectum eundem reddet corruptionis? *Maſoretarum* enim ſtudium fuit, eundem ab omni corruptelâ vindicare, atq; ſincerum, & incorruptum ad poſteritatem propagare, inde Maſora סְיָג לְתוֹרָה *Sepes legis* dicitur. Si fortè cum *Gordono Huntlæo* fingat, *Maſoretas Judæos* eſſe *Tiberiades, qvinti* à nato Chriſto ſeculi, (qvo etiam Ludovicus Capellus in Critico ſuo abripitur) refragatur commentum illud communi Ebræorum ſententiæ, qvum, *Eliâ Levitâ* teſte, *Esdram*, aliosq́; viros Synagogæ magnæ Maſoram cepiſſe, unanimi ſuffragio aſſerant. Qvo de prolixè *Joh. Buxtorfius Senior* in Tiberiade legi poterit. *Hüntlei* ineptias diſcuſſimus *Critico Sacro*, ut & aliorum Papiſtarum, qvi Codices Ebræos poſt Hieronymi ætatem depravationem paſſos criminantur p. 401. ſeqq. *Ludovicum Capellum* confutavit *Joh Buxtorfius Junior* in Anti-Critico ſuo. Si ergò âMaſoretis, h.e. ab *Eſdra, Haggæo, Zachariâ, Malachiâ* aliisq́; ὁμοχρόνοις profectus eſt textus, qvem habemus, ſacroſanctus & omni exceptione major nobis omninô eſſe debet. Qvô loco etiam Cardinali Bellarmino *Tikkum Sopherim*, (ſi fortè cum *Galatino* illas obvertat Grotius) habentur, *qvod non corruptio ſint, (ſi fabula non ſint) ſed vera emendatio, non facta à qvibuscunq́; ſcribis, ſed ab Esdra & aliis ſanctis Prophetis, qvi poſt reditum à captivitate libros ſacros reparaverunt.* Unde in Maſorâ parva *Num. XII, 12.* expreſsè תקון עזרא vocantur. Num Esdram aliosq́; ſanctos Dei viros textum corrupiſſe dicendum? Videatur de his Criticus noſter p. 387. ut & D. *Glaſſius* Philol. Sacr. l. 1. p. 39. & *Joh. Buxtorfius* apud eundem in addendis ſub calcem l. 1. pag. 493.

pag. 493. Ubi mentem ſuam de *Tikkum Sopherim* rogatus explicavit. Fontis Ebræi puritatem prolixè aſſeruimus *libro citato à p. 366.* ad p. 438. Non eſt, qvod actum agamus. Adverſus noviſſimas in Papatu molitiones contra Ebræam veritatem, qvæ *Joh. Morini* fuére, *Simeon de Muis* Profeſſor Regius Pariſienſis, *triplici aſſertione* Veritatis Ebraicæ cauſam egit, qvam Doctores in Fac. Theologicâ Pariſ. Sorbonici, *Du Freſne de Minſe*, *A. de Breda* approbarunt, *H. Bachelier* Theologiæ Doctor Sorbonicus vehementer laudavit, *Valerius de Flavigni* Fac. Theol. Pariſ. itidem Sorbonicus Doctor ita adornatam judicavit, ut *de Sacroſanctæ editionis Ebraicæ authenticâ veritate nullum poſſe impoſterum, invitis etiam ejus obtrectatoribus, ampliùs dubitare*, pronunciarit. Qvæ judicia cum operibus Muiſii exhibuit Claudius de Avergne, Sacr. & Ebraic. literarum Pariſienſis Profeſſor Regius Anno clɔ Iɔc L.

§. V. *Verſionem LXX Interpp.* puriorem Ebraico textu facere videtur Grotius: cùm *libros Ebraicos nos nunc ita non habere, qvales olim habuére illi*, aſſerit, nec rarò verſionem Interpp. præfert. *De Verſione LXX. Interpp.* Neſcio, an *Johanni Morino Congregationis Oratorii Presbytero* aures præbuerit, qvi Græcam τῶν ἑβδομήκοντα ſummoperè extollit, eamq; *per Sixti V. autoritatem, qvâ, ut ab omnibus reciperetur, nevè qvis addendo vel demendo aliqvid in eâ mutaret*, diplomate cavit, *Vulgatæ non improbabiliter æqvari poſſe*, exiſtimat, *Diatr. Elenctic. de autorit. Ebraici Græciq; textus p. 233* At unde docebit Grotius, talem nunc haberi verſionem illam Græcam, qvalis olim ex Ebraico tranſumpta eſt; aut Ebræum textum ab eo corruptum eſſe potiùs, qvàm Græcam illam tranſlationem? Qvanqvam verò editionem LXX Interpp. ab *Anton. Caraffa Cardinali* procuratam, *Sixtus V.* magnoperè laudarit, *Cardinal. Baronius* etiam ceu *opus divinum ac divinitùs inſpiratum* in Appar. annali n. 119. applaudente *Joh. Morino* Exerc. IX. c. 4. p. 441. deprædicare non dubitarit, rationes tamen *Morinianæ* nullius ſunt momenti, nec ſibi ſatis ipſe conſtat, imò è præfatione Romanæ illi editioni præfixâ, *Nicolaus Serarius* plus, qvàm decem argumentis probavit, editionem illam

lam non esse ipsam LXX Interpp. versionem ubiq; puram & incorruptam, nedum pro opere divino habendam: de qvibus legi prolixè poterit *Criticus* noster *Sacer* à p. 830. ad 840. Conferatur etiam hanc in rem Sylloge vindiciar. *Dn. D. Dorschei* in Exod. c. II. p. 35. Invertenda omninò illatio Grotii fuerit, si à diversitate lectionis argumentum hic petendum. Qvia aliter non rarò legit Græcus, qvàm Ebraicus textus, mutationem passum Græcum esse, humanâ industriâ adornatum, non Ebræum codicem, qvem divinitùs inspiratum agnoscimus omnes; Qvanqvam diversitas illa qvandoq; inde profecta dici possit, qvod sensum asseqvuti non sint, aut non expresserint satis originalis textûs. Conqvestus est jam suâ ætate *Hieronymus*, germanam & antiqvam LXX. Seniorum translationem corruptam atq; violatam esse *in præfat. Paral. imò nimis corruptam esse, Præfat. in Pentat.* & qvis nescit, eam sæpè ab *Origene* emendatam, à *Justino* illis antiqviore corruptionis, à Judæis factæ, accusatam? Habemus hic confitentes Papistarum doctissimos; *Andreas Masius* præfat. in libr. Jos. *in nullâ sui parte vitium non fecisse* fatetur. Bellarminus *adeò corruptam & violatam superesse* dicit, *ut omninò alia esse videatur, ita, ut jam tutum non sit, Ebraicos vel Latinos textus ex Græcis codicibus emendare.* Illos potiùs consuluisse debebat Grotius, qvàm *Morinum* audaculum, qvi tandem profitetur ipse, *multas mendas in Græcam LXX versionem irrepsisse, atq; etiamnum inhærere.* Qvid, qvod nonnullis è Judæis, notante *R. Gedaliâ*, videatur, LXX non *ex linguâ sanctâ*, sed *ex Syriaco exemplari in Græcum transtulisse. Johan. Buxtorfius* Filius in tractat. de punctis part. 1. c. 9. *R. Asariæ* sententiam, qvod translatio illa è Chaldaicâ qvâdam versione facta sit, proposuerat: in *Vindic. Veritatis Hebraic.* part. II. c. II. p. 552. addit: *Si ea sententia minùs videatur veritati consentanea, fieri tamen posse, ut qvandoq; hujusmodi interpretationes Chaldæas, qvæ tum inter Judæos habebantur, consulerent, & fortè seqverentur* Septuaginta Interpretes: alii verò nonnulli recentiores Critici doctissimi, utpote *Ludovicus de Dieu*, in Matth. 19, 5. *Joh. Seldenus* de mari claus. p. 37. *Joh. Heinricus Hottingerus* in

Unde traduxerint versionem LXX.

thesaur.

thesaur. Philol. p. 262. ex *Samaritano* codice *Versionem Græcam* adornatam esse censent: qvæ etiam *Gülhelmi Postelli* in Tabul. lingvar. Tab. II. est sententia. *Hugoni* nostro contrarium placet ad c. XVII. Levit. 14. Confusæ, inqvit, *sunt duæ versiones: altera, qvæ interpretamentũ commodum generalibus illis verbis adhibuerat; altera, qvæ Hebræum κατὰ πόδας seqvebatur: unde secuta repetitio inanis, qvæ & ex Græco LXX. in Samaritanum fluxit. Nam Samaritani, qvos nunc habemus Codices, facti sunt ad Græca exemplaria, ex qvo Samaritani ab Justiniano coacti sunt suscipere Christianismum.* Hæc Grotius; qvibus & *Samaritani* moderni codicis, à *Morino* nimium qvantum celebrati, ab ipso etiam Grotio non semel lectioni Ebrææ præpositi, autoritatem non parùm labefactat, & Græcæ LXX. Interp. versionis, qvam nunc habemus, fidem admodùm suspectam reddit. Nam si illa confusa est ex versionibus duabus qvandoq; non potest indubiè de verâ lectione nos certos reddere. Qvod cuiqvam loco accidit, cuivis accidere potuit. Probabilior tamen *Hottingeri opinio: è Samaritanis, aut aliis parùm emendatis Codicibus versionem LXX. Interpp. enatam. Alexandrinos nempe Judæos*, qvorum operâ adornata illa versio, non habuisse *Ebræos* codices, qvos Judæi Hierosolymitani emendatiores asservarint, & ob simultates & odia Alexandrinis non communicarint, sed *mendosiores* Samaritanos, aut alios. Conferantur, qvæ de versione LXX. Interpp. uberiùs diximus in *Critico Sacro*. Ibi enim *hypothesibus Grotianis*, qvas de *versionis τῶν ἑβδομήκοντα autoritate*, qvum eam Ebræo textui non rarò præferat, fovisse videtur, nervum, nisi fallimur, incidimus: ac prolixè de *autoribus* ejusdem, an nempe *autoritate Philadelphi per Demetrium* ea procurata, à *LXXII Senioribus* adornata, qvod Illustris Scaliger inficiatur, an *exemplar archetypum* adhibitum, an *approbata* à Judæis translatio, qvo *in censu* habita sit penes Ecclesiam Christianam, & veteres Dd. & cumprimis, qvid *de Apostolicâ allegatione* habendum? tractavimus, locis, qvibus non seqvuntur Apostoli LXX Interp. etsi cum Ebræo consentientes, tùm qvibus eosdem à textu Hebræo haud discrepantes, nec non qvibus

Ebræum potiûs textum, qvàm LXX Interpp. ab eodem deflectentes seqvuti sunt, in medium adductis, variisq; erroribus LXX Interpp. & discrepantiis à vulgatâ versione, cum vanissimæ *conciliationis Morini* qvi contradictoriè opposita etiam componere satagit, examine, ac discussione, demonstratis: Subjunctâ deniq; disertatione de existentia & sinceritate Versionis LXX Interpp. Qvæ ante XIIX. annos jam expedita, Pseudo-Criticis adhuc expendenda relinqvimus, ut desinant versionem illam pro diversâ Ebræi textus lectione venditare, Codicisqve antiqvi autoritatem eidem adscribere. Si omninò è textu Ebræo versionem suam adornassent Græci, si LXXII. Seniores translationi, uti creditur, adhibiti fuissent, qvod utrumq; admodum dubium & incertum, si etiam translatio eorum genuina adhuc superaret, prout à manibus ipsorum prodiit, qvod haud concedent, qvi *authenticum* exemplar cum Bibliothecâ Ptolomei exercitus Pompeji incendio absumptum, *apographa* tùm Judæorum, tùm hæreticorum culpâ, maximè verò scribarum imperitiâ, temeritate, audaciâ, ἀβλεψία & ἀνεσία, accedente imprimis etiam aliarum Græcarum versionum varietate, & Hexaplorum Origenis, ac interpretationum Theodotionis, Symmachi, aliorum confusione, (qvam non diffitetur Grotius) corrupta censent: qvibus medelam sufficientem neqvicqvam à Caraffæ operâ expectes; si nullæ suppeterent *diversæ* in ipsâ LXX Interpp. translatione *lectiones*, uti omninò variæ supersunt; Dubium tamen adhuc esset, an *codice puncta*to usi fuerint LXX nec ne, qvod qvi puncta recens inventum Judæorum faciunt, qvod omninò contendit Capellus, non abnuente *Grotio*, affirmare non possunt; neq; aliis fit verisimile; qvod nimis manifestum passim sit, pro judicio proprio puncta addidisse autores istius translationis; Dubium etiam esset, an exemplar, qvo usi sunt, per omnia sincerum, & ab omnibus prorsùs erroribus, qvi per incuriam librariorum facilè subrepunt, immune fuerit: Dubium, annè varietates illæ, qvæ inter Ebræum textum, qvem habemus, & translationem reperiuntur, sæpè ex ipsorummet translatorum mente, & judicio potiûs, qvàm

An versio LXX. Int. codicis antiqvi Ebraici autoritatem obtineat?

qvâm è diversâ Codicum istius temporis lectione profectæ sint, imò in ipsis Interpretibus, causæ variæ hîc dari possunt, qvarum nonnullas qvum non abs re, cum aliis Criticis assignârit *Joh. Buxtorfius Filius* vindic. veritat. Ebraic. part. II. c. IIX. pag. 55. eas hic adscribere juvat: *Tertio ergò*, inqvit, *causam præcipuam* (Critici) *ponunt in ipsis Interpretibus, qvi 1. similitudine literarum & Elementorum, qvod in M M SS. facillimum, decepti aliter qvædam interpretati sint. 2. qvædam non rectè asseqventes, in mente suâ aliter legerunt, non in suo codice: 3. Grammaticæ, qvæ tùm nulla fortè adhuc habebatur, non satis periti, nec ad ejus leges attendentes, affinibus vocibus, & verbis easdem significationes attribuerunt, & qvæ diversa sunt, pro iisdem & idem significantibus acceperunt: 4 qvibusdam vocibus peculiares significationes attribuerunt, unde fit, ut, cum illæ hodiè ignotæ sint, aliud legisse existimentur. 5. qvæ metaphoricè dictæ sunt, in proprias, qvas sibi videbantur habere, locutiones resolverunt. 6. in multis sæpè divinabant, ut nullum in ipsis judicium appareat, &, qvam causam hîc vertendi habuerint, prorsùs ignoretur. 7. eâ libertate aut licentiâ potiùs usi sunt, ut pro suo arbitrio qvædam nonnunqvam Textui, ceu expositionis loco adderent, qvædam etiam pro suo arbitrio detraherent, & omitterent. 8. sæpissimè sensum, non verba & literam reddiderunt. 9 etiam ex imperitiâ multa commiserunt, cujus rei innumera vestigia in illâ versione deprehensa & animadversa sunt à Viris doctis.* Hæc ille. *Hieronymus* certè non rarò simile de ipsis judicium tulit, ubi modò *malè eos transtulisse*, modò *similitudine literarum eos deceptos fuisse*, modò *sensum magis, qvàm verba spectâsse*, observavit.

§. VI. Versiones *aliorum Græcorum & Chaldæorum*, nec non è recentioribus *Tigurinam* & *Tremellianam* qvod adhibuerit Grotius, non improbamus. Modò *Chaldæas* Veteres & versiones recentioris ævi Christianas potiùs, quâm *Judæos nuperos*, Christiani nominis hostes, seqvutus fuisset. *Belgicæ* translationi Belga ipse locum nullum dedit, abs qvâ in plerisq; oraculis Propheticis rectiùs informari poterat, nisi Ἰουδαΐζειν maluisset.

VII. Id verò hic in limine etiam haud negligendum, qvod Grotius, cum versiones confert LXX. Interpp. *aliorum Græcorum, Chaldæorum, Arabicas* aut *alias*, vel etiam *Pentateuchum Samaritanum*, non dubitet lectionem, qvæ in illis reperitur, præferre qvandoq; textui Ebræo, sine autoritate vel suffragio ullius Ebræi Codicis, aut ex proprio ingenio lectionem novam comminisci: unde haud obscurè colligitur, eundem à Pseudo-Critico illo nupero *Ludovico Capello Salmurienſi Professore* seductum esse, aut certè alioquin communes cum ipso fovisse hypotheses: Laudat enim vehementer *Capellæ Criticum* in Epistola ad ipsum datâ, qvæ in volum: Epistolar. ad Gallos CLXXXI. est, unà cum *arcano punctationis. Sicut autem in eo labore* (de Arcano revelato loqvitur) *alios qvi te præcesserant, ita in sacrâ Critice, etiam istum laborem tuum superasti. In qvo nescio magisnè indefessam sedulitatem mirari debeam, an uberrimam eruditionem, an judicium limatissimum; qvæ tres laudes in hoc opere ita inter se certant, ut in ambiguo maneat, cui de tribus prima palma debeatur. Sunt qvidem nonnulla, ut rectè notasti,* εὐδιάβλητα, *sed omnibus placere, nemini datum est, minimè v. iis, qvi supra vulgus sapiunt. Contentus ergò esto magnis potiùs, qvàm multis laudatoribus. Neq; desperandum tamen, qvin, qvod in aliis rebus sæpè, in hâc qvoq; eveniat, ut paucos eminentes seqvantur & illi, qvi tantùm ad numerum valent. Ego & tibi & iis, per qvos opus tuum ad meas pervenit manus, plurimum me debere profiteor.* Et in notis hisce provocat ad Capelli Criticum, qvem tredecim annis, anteqvam emitteretur, manuscriptum legerat Grotius ad c. V. Genes. V. 18. *De multis discrepantiis, qvæ in hoc & seqventibus Capitibus circa numeros annorum apparent in Codicibus Hebræis, Samaritanis, Græcis nihil melius, qvod dicam, habeo, qvàm qvæ dixit in Critico sacro eruditissimus Capellus.* Summam hypothesium, qvæ non usq; adeò hic notæ sunt, ex Critico isto his omnibus verbis proposuit Joh. Buxtorffius in dedicat: Anti-Critici.

Hypothesi-um Capelli summa

Nimirùm fingitur, literas veteres Mosaicas esse mutatas, & qvas hodiè habemus, esse Assyriacas, ab Esdrâ demum post captivitatem Babylonicam Judæis traditas, prioribus illis genuinis Samaritis relictis;

relictis: Puncta vocalia, qvæ codicibus Hebraicis hodiè sunt adscripta, negq; esse ab Autoribus sacris ipsis, vel aliis Viris Propheticis, neq; etiam veram, primam & genuinam Lectionem repræsentare, sed esse demum 500. circiter post Christum annis, à qvibusdam Masoretis Tiberiensibus excogitata, & pro suo judicio & arbitratu addita & adscripta: Hinc Codex sacer Hebraicus per contemtum & ludibrium vocatur subinde Judaicus & Masoreticus: Codices Hebraicos idem, qvod reliqvi autores veteres omnes, fatum expertos, ut per librariorum sive scribarum desidiam, somnolentiam, ignorantiam, aut verò etiam temeritatem & audaciam correctorum, plurimæ in illos variæ Lectiones h. e. mutationes & errores irrepserint: imò nullam aliam nec esse, nec potuisse esse librorum horum conditionem, qvàm omnium in universum librorum cæterorum: Divinam providentiam non magis pro conservandis intemeratè codicibus sacris invigilasse, qvàm pro cæteris omne genus libris & authoribus: & sufficere, qvod illos non passus sit ullâ hominum vel fraude vel vi, aut malitiâ technisve vel aboleri, vel ita corrumpi, ut ex iis sincera, pura atq; incorrupta salutis doctrina hauriri non possit: Multa qvippe esse in Scripturâ non momentosa, in qvibus perinde sit, qvomodocunq; legas. Nullum haberi certum Codicem, ad qvem in discrepantiis Interpretum, & locis de verâ lectione controversis, possit recurri, negq; talem esse codicem Hebraicum: imò nec necesse esse, ut talis aliqvis Codex authenticus extet & habeatur: Loca Scripturæ Parallela, inter se discrepantia, vel secum pugnantia, arguere alterius ex illis mutationem & corruptionem: Veterum Interpretum ab Hebræo Codice discrepantes Versiones sæpissimè atq; adeò infinitis in locis provenisse ex discrepantiâ & varietate codicis Hebraici, qvo in vertendo sunt usi, ac proinde varias Lectiones dicendas, cum nostrorum librorum lectione conferendas, sæpissimè etiam præferendas esse: Totidem hinc dicendos esse codices Hebraicos, qvot sunt Veteres Interpretes ab hodiernâ lectione recedentes: Totum Scripturarum authenticarum corpus diffusum & permixtum esse, tùm in Hebraicis fontibus, tùm in qvibuslibet Translationum rivulis: Translationes omnes, unà cum Textu Originali, pariter esse authenticas, sacras, divinas,

θεοπνέυς8ς: *Ad veram Lectionem percipiendam conferendos esse omnes Interpretes, & ex illis demum eam eruendam, divinandam & colligendam: Discrepantes Interpretationes non esse ad Textum Ebraicum hodiernum exigendas & conferendas, sed in illis discrepantiis de verâ lectione esse judicandum ex nostra ratione & qvam hæc nobis dictat lectionem, eam esse præferendam, in qvocunq; demum Codice reperiatur: Non solùm licitum esse aliqvando conjecturas novas facere de verâ lectione, sed & utile, atq; adeò etiam aliqvando necessarium id esse, propter multa ἄπυρα, ἀδιάλλακτα i.e. insolubilia & irreconciliabilia loca, qvæ aliâ ratione conciliari neqveant, qvàm levem admittendo errorem, eumq; tali conjecturâ corrigendo; Imò in qvibusdam locis agnoscendum etiam esse errorem Scriptorum Sacrorum ipsorum, qvatenus illi homines infirmi fuerunt: Nec debere apud nos fixum ratumq; esse, omnia, etiam minimas voces, dictiones & literas in Scripturæ textu Originali esse ab interno ἐνθουσιασμῷ Spiritus Sancti.* Hactenus Buxtorfius. Audiamus Criticum ipsum: *Statuendum*, inqvit, *& concedendum est, (qvod negari non potest) codicem hodiernum Judaicum & codicem Samariticum cæterosq; codices, ex qvibus factæ sunt Translationes omnes veteres esse sacrorum librorum totidem diversos codices, variis lectionibus inter se discrepantes:* Item: *Non est autem vera, bona & commoda lectio in uno tantùm codice qværenda, putà hodierno Judaico, sed modò in hoc, modò in illo, modò in alio, h. e. uno in loco commodior lectio invenietur in hodierno Judaico, alio in loco invenietur in Codice Samaritico, alio in loco in translatione τῶν LXX. alio in loco in Paraphrastis Chaldæis, & sic de cæteris antiqvis interpretibus*; Imò contendit; *hodiernum textum Ebræum non esse alia ratione, neq; aliâ de causâ præferendum vel Samaritico vel alii cuilibet, nisi qvà & qvatenùs ostendi potest, sensum, qvi oritur ex ejus lectione, esse ὡς ὅτι τὸ πολὺ meliorem & convenientiorem eo, qvi nascitur ex lectione aliorum Codicum. Itaq; sicubi demonstrari potest, lectionem, qvæ est in Codice Samaritico, vel qvam seqvuti sunt* LXX *Interpp. aut Chaldæus Paraphrastes, Aqvila, Symmachus, Theodotion, vel Hieronymus, congruentiorem fundere sensum, & antecedentibus, consequentibus, totiq;*

Scriptu-

Scripturæ analogiæ magis cohærentem, neminem tàm iniqvum esse debere, ut istum non potiùs amplectatur, atq; unà lectionem, qvæ sensum illum ex se fundat. Hæc omnia Capellus. Cui etiam usqve adeò *absurdum non est, si qvis dicat, Codicem τῶν LXX, & illum Hieronymi, duos esse fontes Hebræos*; utq; insuper pronunciet, *totum Scripturarum (authenticarum) corpus diffusum & permixtũ esse, tùm in Ebraicis fontibus, tùm in qvibuslibet translationum rivulis*, (ad qvam Critici hypothesin rectè eruditissimus Buxtorfius, *subtilissima hîc reqviretur & paucis data ars Chymicæ sacræ, qvâ qvinta hæc essentia artificiosissimo qvodam alembico destilletur, & extrahatur*) ac contendat, *non haberi hodiè talem Codicem, ad qvem in discrepantiis Interpretum & locis de lectione verâ controversis possis reverti, neq; talem esse Codicem hodiernum Ebraicum, nec esse necesse, ut talis Codex habeatur, qvi sit infallibilis & immobilis norma translationum; qvia in qvamplurimis adeoq; innumeris locis illapsa sit, in codicem Ebræum, Deo permittente, ex humana & ἀδιαβλήτῳ infirmitate, ex Scribarum incuriâ & temeritate, multiplex variatio & immutatio*; Unde magno molimine *Critici* Capellus collegit ingentem numerum variarum, qvas vocat, *pelli Scopq.* lectionum per decem distinctas classes, *ex variorum V. T. librorum inter se collatione, ex Vet. & N. T. locis parallelis, ex Judæorum Keri & Ketib, variis lectionibus Orientalium & Occidentalium, Ben Ascheris item, & Ben Naphthali, ex Codice Pentateuchi Samaritano, ex variis editionibus textus Ebraici inter se collatis, ex translationibus Græcis LXX Interpp. Aqvilæ, Theodotionis & Symmachi; Ex Targumim, seu paraphrasibus Chaldaicis, ex translatione latinâ vulgatâ, ex fragmentis antiqvorum Latinorum, ex Judæorum scriptis Thalmude, Rabboth, Masorâ, & Rabbinorum commentariis, ex novis & propriiis etiam conjecturis*, è qvibus omnibus, collatis etiam translationibus *Syriacis & Arabicis* ac recentiorũ Interpret. si Criticus qvis, *κρίσει* suâ adhibitâ, veram lectionem ostiatim conqvirat, & qvasi emendicet, aut *liberaliori*, ut ipse vocat, *inqvisitione* eruat, proditurus tùm demum genuinus codex, aut genuino proximus, vel certè multò propior, ipsius judicio, in innumeris locis, qvàm nunc est *Judaicus*, &

Masoreticus ille hodiernus, qvem ita per contemtum appellare solet.

§. VIII. Non ovum ovo tâm simile est, qvàm *αὐτήμασι* Grotiana aut *κυρίαις δόξαις*, qvæ passim in *Annotationum opere* sese produnt, plerisq; hisce Capellianis, ut aut vitulâ ejus arasse aut per *παροξηλείαν* æmulari eundem, aut certè adhibitâ suâ *κρίσει*, collatis etiam, qvæ ille non adhibuit, aut fortasis adhibere non potuit, Syriacis & Arabicis translationibus, spicilegium post messem instituere voluisse, credendus sit. Qvæ verò hypotheses aut refutatæ jam alibi sunt à nobis, aut vanitate suâ ultrò concidunt. *Literæ Ebrææ* cur *peregrinæ* statuendæ sint, *Assyriorum* vel *Pœnicum*, uti Grotius vult annotatis ad libr. I. de verit. relig. christ. §. XV. p. 18. aut cur Samaritanæ habendæ pro Ebraicis antiqvis, etsi magna eò inclinent nomina, causas sufficientes non video. *Proprias* esse Ebræorum in Critico Sacro p. 325. asserui, nec qvod in aliam mentem pertrahere potuerit, observavi hactenus: *Communem eam ac receptam apud Hebræos esse sententiam*, Buxtorf. disert. de literis veris Hebraicis docuit. Qvanqvam illa qvidem hypothesis, de mutato charactere Ebræo, parùm officiat veritati fontis Ebræi, dummodò illi non superstruatur autoritas Pentateuchi Samaritani; gravior est altera de *punctis vocalibus & accentibus Ebræis à Masorethis* (fictitiis) *Tiberiensibus* oriundis: qvam verò in Capello jam confutavimus Crit. sacro p. 331. seqq. *argumentis historicis & Chronologicis*, *Rabbinorum* item, & *Thalmudicis* testimoniis, nec non *Verbis Christi Matth. V, 18*, *è punctorum vocalium naturâ*, *revelationis divinæ certitudine*, *Scripturæ S. perspicuitate, ac perfectione*, qvæ ab exceptionibus Capelli vindicata & argumenta ejus contraria profligata ibidem sunt. Edidit intereâ *Dn. Buxtorfius* tractatum *de punctorum vocalium & accentuum Ebraicorum origine & antiqvitate*, in qvo *se ostendisse* dicit, *omnes tàm veteres, qvàm recentes Hebræos pro punctorum antiqvitate stare & militare, & vel eorum originem ad Mosen & autores sacrorum librorum ipsos, vel saltim ad Esdram eorum inventionem, & ad libros sacros adscriptionem referre, unô exceptô Eliâ, recenti Ebræo-*

An literæ Ebræorum Assyriorum peregrinæ, an propriæ sint!

An puncta Tiberiensi-bus Origi-nem habe-ant.

rum Grammatico, qvi superiori seculo floruit: sed nondum ad manus meas pervenit Buxtorfiana tractatio.

§. IX. Multùm adhuc periculosior est hypothesis de *Codicibus Ebræis*, non qvâ puncta solùm, sed & literas & consonantes ad *versiones* varias, *Pentateuchum Samaritanum, loca parallela & judicium nostrum* sine Codicum vel Interpretum autoritate, emendandis, deq; novellis, è facili punctorum, vel literarum commutatione inveniendis lectionibus. Qvo pacto corruptionis arguitur Codex Ebræus θεόπνευστος, in infinitis locis. Qvæ verò ante Masorethas facta dici non potest, qvum in *Talmud, in Medraschim antiqvis, in Cabalistis* nec vola nec vestigium ejusmodi mutationis deprehendatur, neqve deinceps fieri potuit, qvum Masorâ, veluti qvodam sepimentô, à corruptione immunis præstitus sit textus sacer. Digna est Masoretharum stupendâ diligentiâ, observatio; qvæ hîc etiam observetur; Qvum ad Exod. XXV, 31. de verbo תיעשה agit; *Inspexi*, inqvit, *libros, qvos explorarunt Sapientes Tiberiados. Et jurejurando affirmabant qvindecim ex Senioribus ipsorum, qvod diligentiâ ter attentè considerabant, singulas dictiones & singula puncta, omne plenum & omne defectivum & ecce scriptum fuit Jod in voce* תיעשה *etiamsi non ita scriptum inveni in libris Hispanicis & Gallicis, & transmarinis.* Ad qvem Aben Ezræ locum *Schickardus* in Bechinâ p. 12. exclamat: *ô incredibilem in minutissimis qvoq; diligentiam! ô singulare numinis beneficium! ô mirandam tot exemplarium per omnes Europæ, Africæ, Asiæq; angulos dispersorum, per tot secula ad nos usq; propagatorum, ac salutarem harmoniam!* Hæc Schickardus uberius illic de Masorâ agens, & id imprimis observans, *Lectionum in Hebraicis Bibliis varietates Masorâ antiqviores esse, & ab eâ omnes accuratè notari.* Porrò, qvum reperiantur *inter Judæos, inter Christianos in Oriente, in occidente non pauca pervetusta exemplaria ante sex, septem aut plura secula conscripta*, qvis credet, in nullo istorum qvasdam saltim è variis illis lectionibus, qvæ ex Versionum discrepantiâ fingunturtur, relictas, si secus ipsorum Codices Hebræi habuerint; & qvomodo Codices hi ita sublati sunt, ut, qvum habiti translatorum

Ebræi emendandi ad versiones antiqvas! *Ebræos immunis præstitus sit textus sacer. De Masoretharum observatio; qvæ hîc etiam tuerint?*

corruptelæ

ætate fuerint authentici, nullus eorum superet ampliùs! Si vel *Antiochi persequutione, vel Pharisæorum & Scribarum* ceu hostium versionis τῶν LXX *invidiâ*, qvod etiam vult Capellus, in contemtum adducta, ac tandem penitùs exoleta Codicum, qvibus usi sunt, Ebræorum eisq; similium, exemplaria universa, qvonam devenerunt ergò illi Codices Ebræi, qvibus usi sunt vel *Chaldæi* Interpretes, *Jonathan, Onkelos, Autor Targum Hierosolymit.* vel *Græci* cæteri, *Aqvila, Symmachus, Theodotio, vel Hieronymus*, ut nusqvam reperiri *Capellus* dicat illas, qvas hîc ex ipsorum versionibus fingit, diversas lectiones. Neq; ullatenus est verisimile, tantam varietatem fortuitò subrepere potuisse scribis, sine ullâ Rabbinorum advertentiâ, qvanta hîc fingitur. Corrumpendi autem studio eam factam, nec ipse Capellus admittit, imò Judæos *fortiter se ab hoc crimine liberare* profitetur; tametsi mox sui immemor, *ex temeritate & audacia eos modò diversas voces componere, modò compositas dividere*, affirmet, qvæ verò ἀσύστατα sunt. Non enim adeò imperiti, & ignari fuêre scribæ, sed inter Judæos Doctores haud infimum subsellium, uti Buxtorfius notat, obtinuerunt, qvi legi describendæ adhibebantur; neq; fieri potuit, qvin deprehensi & emendati fuissent errores, ex imperitiâ aut ἀβλεψία enati, qvum tot fuerint penes Judæos exemplaria legis, non modò singulorum locorum synagogis, sed etiam singulis propemodum ædibus, ac inde ab Esdræ ætate continuo versu lecta singulis sabbathis sit lex & explicata publicè. *Si Masoretharum initium ac studium ad Esdræ* tempora referatur, & ad CXX. viros Synagogæ magnæ istius ætatis, qvod *Joh. Buxtorfius Senior* demonstrat in *Tiberiade*, cui nec ipse Morinus, minùs alioqvin æqvus de acatholicis, qvos vocat, arbiter, & summus veritatis Ebraicæ hostis, laudem suam abrogare potuit, qvin fateretur, animadvers. in censor. Exercit. Samarit. p. 397. 367. *Buxtorfium primum & solum Christianorum hactenus hanc Criticam* (Masoretarum) *intellexisse*: qvum *neq; ad Simeonem justum* viri Synagogæ magnæ durarint, ex qvo tempore usq; ad LXX Interpp. versionem vix seculum integrum effluxit; per qvod discipulos à Synagogæ M. viris relictos, fidâ custo-

cuſtodiâ propagaſſe codicem Ebræum, nullum eſſe poteſt dubium; ſiqvidem nulla inſignis calamitas, intereâ Judæis obvenerit, qvâ *correcta exemplaria omnia* interiiſſe præſumi qveat, neq; tantæ varietates, ſine ullâ memoriâ, irrepere potuerint, ante Antiochi tempora, qvo Criticorum ſtudium adhuc viguit, adeoq; remedium adverſus corruptelas haud defuit. Siqvidem vix 80. anni à tempore verſionis LXX. Interpp. usq; ad Antiochi tempora intercesſerint. Aut ſi omninò variationes ejusmodi ſeſe iſto tempore inſinuaſſent, an credemus, vel à ſubſeqventium temporum Criticis, qvorum diligentiam & fidem maximoperè laudat Capellus, easdem non fuiſſe accuratas, vel ſi Judæorum hîc invidia, & malevolentia adverſus LXX. Interpp. verſionem ſe in ipſos Codices Hebræos exonerasſet, uti præter omnem fidem fingitur, annon Chriſtus redarguiſſet Judæos ſuo tempore, ac de Canone, uti par erat, commonefeciſſet, ad qvem verò ipſe ſine ullâ cautelâ & commonefactione remiſit.

§. X. Tûm verò an *divinam providentiam* admiſſuram fuiſſe credemus, ut Scripturæ S. textus *Originalis*, qvem nortam perpetuam Eccleſiæ eſſe voluit, tantoperè corrumperetur, ac perturbaretur, innumeris ſc. diverſis lectionibus, ita invectis, ut nemini in Eccleſiâ, etiamſi in unum congregentur omnes totius Orbis Doctores, indubitatô dicere deniq; liceat, qvænam in locis infinitis propemodùm vera & genuina ſit lectio? Qvo pacto *omnis certitudo Codicis ſacri* prorſùs labefactatur, fidei fundamentum ſubruitur, & ſolo æqvatur, nec ulla amplius fidei πληροφορία ſuperesſe poteſt, nihilq; porrò reſtat, qvàm ut merus Pyrrhoniſmus in his, qvæ divinâ constant revelatione, admittatur, adeoq; atheiſmus ipſe tandem caput extollat ac triumphet. Qvâ enim facilitate univerſalis corruptio in illa loca innumera irrepere potuit veteris pariter ac Novi Teſtamenti, qvam comminiſcitur Criticus, eâdem in alia qvoq; & qvidem in iſta, qvæ fidei axiomata continent, irruere aut irrepere potuiſſe, mens humana ad Pyrrhoniſmum perqvam propenſa ita præſumet, ut diſtinctione illâ inter *dogmata*

De divinâ providentiâ.

Conſectaria periculoſiſſima illius ſententiæ.

fundamentalia & alia fundamentum non concernentia hîc sesse expeditura neutiqvam sit. אלו ואלו דברי אלהים היים *tàm hæc, qvàm illa*, tâm magna qvàm parva, *sunt verba Dei viventis*, ajunt Hebræi. Proinde omnium hactenus eadem est ratio, qvæ in Scripturis habentur. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος 2. *Tim. III, 16.* Et qvô tandem abitura est illa corrigendi licentia, si tanta ei aperiatur porta, ut textum Ebræum fas sit non tantùm ê versionibus, sed etiam è propriis conjecturis emendare? Si *ita faciendum & ita facere licet uni, annon licebit idem pluribus? Si Rubeni, cur non item Simeoni, & cuivis alii? Imò, qvidni*, inqvit Capellus, *& huic & illi, & item alteri, imò cuivis liceat, modò id possit & cum judicio faciat?* Sed qvis patietur, sibi abjudicari judicium? qvis, præsertim è Criticis, qvi audaculi sæpè esse solent, sese χρίσει & judicio suo non efferet? Qvæ tùm supererit contentionum norma, si ab hoc fastigio dejectus fuerit Ebræus Codex? Et qvomodo ille tùm fontis, qvomodo veritatis Ebraicæ ἀξίωμα, qvod illi deferunt omnes, obtinere deinceps poterit, permissâ cuivis tantâ in eundem licentiâ, ut jam è *Chaldæis* versionibus, jam è *Græcis*, jam è *Latinâ*, jam ex *aliis*, jam è *Pentateucho Samaritano*, jam è *collatione locorum & propriis conjecturis* emendetur, novæq; lectiones fingantur ac refingantur, sine mensurâ, sine numero; Ut *versiones* pro fonte, vel fontis diversis lectionibus obtrudantur, atq; procudendus adeò demum sit *textus Originalis* ex variis versionibus, ratiociniis & conjecturis, ac, donec illud fiat, textu authentico careat prorsus Ecclesia.

Judicia de Criticâ Capelli. Reformator.

§. XI. Mirari itaq; oportet Viros clarissimos, *Matthæum Cotterium*, *Guilhelmum Eyre*, *Arnold. Boetium*, *Frideric.* etiam *Spanhemium*, qvod huic tâm periculosæ Criticæ subscripserint. De *Grotio* id non mirum, qvi Vertumnus in his, qvæ ad religionem spectant, semper ferè fuit, sub extremam imprimis ætatem. Sed *Spanhemius* ad δευτέρας φροντίδας perductus est, lectoq; Buxtorfiano *de punctis* tractatu, Criticam illam reprobavit, qvod factum qvoq; à *Boëtio* scriptâ *ad Armachanum Epistolâ de textus Ebræi certitudine contra Lud. Capelli Criticam*.

Qvam

Qvam etiam *viris doctis & gravibus, sed in talibus non exercitatis imposuisse, Andreas Rivetus* indicavit: qvi verò eam *pessimam & prophanam ipse* judicat; *qvæsi obtineat, actum fore de Scripturâ totâ V. T. eamq; nihil aliud fore, qvâm cothurnum Theramenis, omnibus aptandum pedibus,* pronunciat: *Johannes Deodatus periculosissimam* dicit *sectionem primi fundamenti doctrinæ divinæ lapidis.* Alius qvidam è meditullio Galliæ Criticam Capellianam *Alcorani fulcimentum, impietatis buccinam, errorum omnium propagatricem, sapientum omnium judicio habendam,* proclamavit. Atq; hæc qvidem elogia penes *Reformatos* in fide ὁμοψήφους reportavit: Non multò benignius excepta fuit in ipso *Papatu,* in qvô aliàs parvi fieri Ebræum textum, longeq; præferri vulgatam versionem, aut etiam LXX. Interpp. translationem, notissimum. Significavit enim qvidam magni inter Romano-Catholicos nominis, *Ebraistas Parisienses sese Criticæ illi opponere, ideò qvod inde seqvatur, textum Ebræum multis in locis corruptum & erroneum esse, atq;* inde nos in religione Christianâ nihil certi posse constituere: Qvales enim rivi, si fontes corrupti? Alius qvidam clarissimus Ecclesiæ illius Doctor *maximum allaturam illam Reipubl. Christianæ detrimentum* judicavit: Alius *totum istud Capelli opus malignum atq; lethale venenum illo poculo aureo propinare, ac nisi versutiæ illæ discussæ fuerint, tempus fore, qvo periclitari & nutare videatur Sacrorum Bibliorum autoritas;* Qvi cùm perfidissimi impostoris Mahometani Alcorano conferre illud non dubitavit, &, qvod memoratu dignum est, retulit; *cùm nonnulli editione Gallicâ Alcorani offensi, de privilegio concesso conqvesti fuerint,* à qvodam insigni Doctore pariter non absimilem institutam fuisse qverelam de *Ludovici Capelli Sacra, imô execranda Critica, qva qvilibet textus Biblicus, Hebraicus, Græcus, Latinus, Arabicus, Syriacus &c. versatilis dubius & anceps inducitur, & proponitur, qva proinde fidei & pietatis dogmata convelluntur & ad Atheismum lata via sternitur. Si canon ille Criticus valet,* scripsit in simili causa Marinus Mersennus, *nihil amplius certi habemus in libris Hebraicis. Si qvibuslibet conjecturis in restituendo Ebræo textu locus sit, valdè vereor,*

vereor, ne pro divinâ Scripturâ humanâ tandem nobis obtrudatur, ſcribit *alicubi Simeon de Muys*, *Pariſienſis Regius Profeſſor.* Sed hæc & plura alia in *eruditiſſimo Anti-Critico D. Buxtorfii* propoſita ſunt; qvi Criticæ perverſiſſimæ ac verè Diabolicæ ita larvam detraxit, ut neminem ampliùs terrere aut turbare ea facilè poſſit. Repetenda inde nonnulla duximus, ut non illius tantùm, ſed etiam *Grotii*, cujus judicio multum ille triumphat, admiratores intelligant, qvo loco & cenſu haberi debeant iſtæ artes, qvæ in opere Grotiano utramq; ferè faciunt paginam, & habitæ ſint, ab illis etiam, inter qvos vixit ipſe, & qvorum ſcenæ ſeſe accommodavit. Nunqvam enim deſunt ingenia, qvæ falcem ejusmodi Criticam in Sacram iſtam meſſem lubenter immittant, aut aliis immittentibus facilè, ſed minùs cautè ac prudenter, applaudant.

§. XII. Audire hîc potiùs debuiſſet Grotius Judæos, è qvibus *R. Joſeph Albo* prolixè probat, *legem, qvæ hodiè eſt in manibus noſtris, ſecundum continuatam cabalam à Patribus ad filios eandem eſſe, qvæ data fuit Moſi in monte Sinai, ſine ulla mutatione; ſi reperiatur apud alias gentes diverſitas, mutationem eſſe ex parte translatorum, qvi non ſatis in lege excitati fuerint.* Autor libri *Cosri* ejusq; commentator *R. Jehuda Muſcatus* negat *mutandum eſſe, ſi qvid præter vel contra lectionem, proportionem vel collationem videatur, etiamſi unus aut alter Codex faveat; qvia ſi ratiocinatio, electio & judicatio illa dominetur in iſtis & ſimilibus, mutabuntur libri toti, primò in literis, mox in vocibus, dehinc in ſententiis, punctis & accentibus, & ſic mutabitur ubiq; ſenſus. R. Aben Ezra, abſit hoc longè, abſit*, exclamat: *hoc enim non eſt rectum in verbis autorum prophanorum, qvantò minùs in verbis Dei vivi.* Atq; ideò damnant Judæorum Rabbini *Carræos, Autor Cosri, Muſcatus, R. Aben Ezra*, qvod pro ſuo arbitrio mutent *lectionem Legis*, (qvamvis *Andreas Legerus, Genevenſis Theologus*, & ex literis ejusdem *Hottingerus* ſub calcem theſauri ſui Philologici Carræos agnoſcere aſſerat, *ipſa etiam puncta vocalia textus ſacri à Meſe & Propbetis eſſe*) imò *R. Moſes Nachmannides*

das in Novellis suis in caput Talmudicum ישנו חרין fol. 91. *correctionem librorum ex opinione vel conjecturâ*, dicit, *absolutam esse transgressionem, & propter eam mereri qvem, ut excommunicetur: In Talmud* ipso gravissima hâc de re extant monita in Sota c. 3. *Mi fili, esto cautus in opere tuo, si opus tuum sit opus cœli;* (divinum, circa Scripturam occupatum) *Qvod si enim fortè detrahas aut superaddas vel unicam literam, perinde habeberis, ac si vastares totum mundum*, *In Talmud Sanhedrim* cap. ult. *Qvicunq; etiam de literâ unicâ legis dicit, qvòd non sit de cœlo, est ex iis, de qvibus scriptum est, Verbum Domini sprevit.* (Num. XV. 31.) Sed in aliis, ubi errant, seqvi Judæos non dedignatus est Capellus, hîc autem, ubi seqvendi meritò erant, in alia omnia potiùs ire voluit. Nobis ad Grotium nostrum revertendum.

§. XIII. E *Commentariis* Veterum *Hieronymi & Chrysostomi* operam imprimis laudat Grotius: sed qvod ob *lingvæ Ebrææ, locorumq; ac historiarum notitiam istum; hunc verò in illis, qvæ Judæorum Antiochenorum ope observavit*, tantùm celebret; neutrius verò operam vel in *contextuum scrutinio*, vel in *scopo proprio ac nucleo Propheticorum scriptorum eruendo* seqvatur, id probandum minimè est. *Christum* enim qvi est σκόπος σκοπιμώτατος sacrarum literarum, præ nimio historiarum studio & cœco ergà Judæos affectu videre in illis non potuit. Hâc mente qvum fuerit, nostræ ætatis labores & commentarii, qvorum non pauci eruditissimi extant, parùm ad palatum ipsi fuerunt. Solùm *Vatabli & Franc. Junii non spernendos* dicit, Jesuitæ tamen *Johan. Stephani Menochii, & qvos ille contractos exhibuit*, omnibus præferre videtur, si ea, qvæ suo ingenio excogitavit, aut à Judæis hausit, excipias. Qvid mirùm, qvia hic cum suis catholicus, isti verò acatholici sunt Grotio? Qvi annotationum suarum opus *Jesuitæ Dionysio Petavio*, qvem *insignem Theologum* dicit, censendum, locupletandum, corrigendum committere non dubitavit, testibus ad Petavium datis literis, qvæ inter Epistolas ad Gallos postremæ leguntur: *Rogo*, scribit ad eundem, *ut, qvàm primùm cum commodo tuo, id est, publico id fieri poterit, habeam, qvæ observasti; ac liceat mihi tuâ ope addere, demere, corrigere,*

De comentatoribus adhibitis à Grotio.

qvæ opus erit ad verum pacemq; promovendam. Item: *Annota, si qvæ in rebus ipsis mutanda videbuntur; Magni hoc beneficii loco accipiam.* Item: *Si legere vacaveris, rogo, ubi id feceris, me admoneas; qvæ omittenda & mutanda censeas: Qvæ in priorem* (annotationum in V.T.) *partem aut tibi aut alteri, cui ea legenda dederis, in mentem venerint, expectabo.* Qvo nomine etiam gratias Jesuitæ egit, ac lumen de lumine ejus ulterius accendi expetiit: *Plurimas comitati tuæ gratias debeo, qvod eorum, qvæ ad V. T. notavimus, inspectionem sibi gravem esse noluerit, qvod exactiorem lectionem mandaverit iis, qvibus plus erat otii, & qvod commendatione suâ provehere hoc opus voluerit. Nunc cum videam viam aliqvam evulgandi ejus operis, rogo te, ut cum primum poterit, cum monitis ad me redeat. Ubi descripta erit pars altera, in qvâ nunc laboratur audebo iterum laboribus tuis, qvanqvam & gravissimis & utilissimis intervenire, & uti humanitate tàm obviâ. Lutetiæ Kal. Novembr. anno cIↃ IↃC XLI.* Aliis literis deprædicat *opem* Jesuitæ *feliciter sibi præstitam* 16. August. cIↃ IↃC XLII. Lutetiæ datis; qvas anteà produximus. Qvantum ergò Jesuitis in annotata sua permiserit, qvanti Papistarum judicia in interpretatione Scripturæ fecerit, & qvantâ ἀκριβείᾳ se ad monita eorum, qvæ qvis ambiget Romano-Catholicæ doctrinæ accommodata fuisse, composuerit, ita obscurum amplius non est.

Grotius in pleris. Judaizat.

§. XIV. Ab *antiqvis* tamen *Judæorum Magistris se in legis sensum & causam præceptorum, & mores eò pertinentes maximè sumpsisse* fatetur, qvod verò pariter de *vaticiniis Prophetici*s profiteri debuit, in qvibus Judæorum Magistros eidem præ Christianis placuisse, res ipsa docet. Sed nec dememinisse debebat moniti Christi, si *cæcus cæcum seqvatur, ambos in foveam cadere.* Jactat tamen, *se plurimum operæ in Prophetiis posuisse*; *sed ita* (neq; enim id dissimulat) *ut locos, qvos Veteres, ad Christum & Evangelii tempora retulére, ad historias ævo Prophetarum propior.es; relictas sub involucro figuræ Christi & Evangelicorum temporum retulerit.* Ita ergò *Veterum* vestigia deseruit, & in omnia alia ivit. Adhæsisse autem presse Judæis, iisq; recentioribus potiùs, qvàm antiqvis, collatio testatur. Papistam itaq; exuisse tùm

sed impri-mis in Va-ticiniis Test:

cùm oportuit: neq; Papistæ *Catholici* ei fuére ampliùs aut Catholicos curavit multùm, Rabbinico ebrius spiritu.

§. XV. Regulas *in voto* p. 139. præscripserat de *observandâ traditione, & in iis justam esse præsumptionem ab Apostolis traditam, qvæ ubiq; in Ecclesiâ reperiuntur*; sed traditionem Veterum Doctorum in explicandis vaticiniis ex oculis removit. *Nos eos*, inqvit *audimus testes, qvos semper probavit Ecclesia*. Sed qvos testes ab Ecclesiâ probatos glosarum suarum prodet? Commendat necessitatem traditionum in Scripturarum interpretatione, sed glosas suas cum *traditione Christianorum* convenire nunqvam docebit. Laudat Regulam *Concilii Tridentini, de non interpretandâ Scripturâ contrà unanimem consensum Patrum*; Sed eandem insuper habuit in plerisq; Prophetiis. *Non observat Regulas suas de traditione Veterum.*

§. XVI. Dicit, *malè cohærere verborum rerumq; apud Prophetas seriem, nisi referantur vaticinia ad historias propiores, qvæ cæteroqvi pulcherrima est.* Sed ne dicam, qvod opus non sit, ut series cohæreat in vaticiniis, qvoad tempora Prophetis vi ciniora, qvum non rarò ab illis, Spiritu suggerente, ad meliora Novi Testamenti tempora sese converterint, cùm ut ad præcipuum, qvem sibi fixum habent, scopum deducerent fideles, cùm ut â *typo ad antitypum, à pœnis & suppliciis ad fontem & à picem omnium consolationum, à sensu rerum imminentium aut præsentium, ad spem & expectationem futurorum* animos evehe- rent, ac nusqvam non officii sui primarii memores, qvod erat ad Messiam, & fidem in ipsum homines perducere, id datâ operâ peragerent: Sapientior certè non debebat Grotius sibi videri omnibus *Christianis*, veteribus & recentioribus, qvi cohæsionem utiq; monstrarunt, etsi vaticinia de Christo & temporibus Novi Testamenti explicarint. Qvid? num *Apostolis* ipsis, num ipsomet *Christo*, æternâ Patris sapientiâ, sapientior fuit? At docent Apostoli, *Spiritum Christi, qvi in Prophetis fuit, προμαρτυρόμενον prætestificatum esse Christi passiones, & post easdem gloriam*, 1. Pet. I, 11. Docent, *OMNES Prophetas testimonium perhibere Christo, qvod remissionem peccatorum accipiant per nomen ejus omnes, qvi credunt in ipsum*, Actor. X, 43. Protestantur, *se nihil* *Prætextus ejus præcipuus. Cur vaticinia ad historias propiores non sequitur Christianos Interpp. Sed neq; Apostolor.*

docere extra ea, qvæ Moſes & Prophetæ futura dixerunt, Actor. XXVI, 22. Grotii autem ſi admittendæ gloſſæ, nullum facilè habebimus Prophetam de pasſionibus & gloriâ Chriſti teſtificantem, qvi clariſſima etiam illa teſtimonia *Pſ. XVI. & Eſaiæ. LIII.* de Chriſto interpretari noluit, prius ad *Davidem*, poſterius ad *Jeremiam* detorqvens. Qvæ ab ipſismet Judæis antiqvioribus de Meſſiâ explicantur. *Prius à R. Moſe Hadarſchan* in Pſal. XLIX, 11. *Hic verſus dictus eſt de Rege Meſſiâ, qvi morietur, ut redimat Patres & poſteà vivat in æternum.* *Poſterius in ipſo Thargum Jonath.* in libro Sanhedrim cap. Helek in l. Siphre in Midraſch Ruth c. II, 14. *à R. Moſe Hadarſcham* in Gen. I, 3. c. XXIV, 67. & Pſ. XLIX. ideò *R. Aben Ezra* in Eſ. LII, 13. ſeqq. ut & *R. Abrabaneel ſic Veteres Ebræorum Magiſtros, ut & R. Moſen Nachmannidem*, magni inter recentiores nominis, exponere docent: ex cujus unius vaticinii lectione etiam ſe ad fidem Chriſtianam converſum fuiſſe teſtatur *Johan. Iſaacus* adv. Lindan. Tantùm verò abeſt, ut Grotius OMNIBUS Prophetis hoc relinqvat, qvod de *remiſſione peccatorum per fidem in nomine Chriſti* teſtatiſint, ut vix ulli Prophetarum hoc aſsignaturus ſit, qvi remiſsionem peccatorum potiùs primum à Chriſto annunciatam eſſe, *Socino* aſserenti credit; neq; de fide in nomine Chriſti & remiſsione peccatorum per fidem illam conſeqvendâ qvicqvam in annotatis ſuis in Prophetas, tradidit. *Nihil autem docuiſſe Apoſtolos extra ea, qvæ Moſes & Prophetæ* in ſcriptis ſuis *docent*, in qvibus audiendi proponuntur à Chriſto Luc. XVI, 29. qvomodo credere potuit, qvi non modò multa alia Apoſtolos oretenus docuiſſe, qvæ planè non ſint ſcripta, cum Papiſtis perſvaſus fuit, ſed nihil penè eorum, qvæ Apoſtoli docuêre de Chriſto in Moſe & Prophetis, per annotata ſua relinqvit!

§. XVII. Chriſtus verò, qvem ſolum audiendum eſſe, cœleſtis vox proclamavit, *ſcrutari* ita juſſit Scripturas Veteres, ut *vitam æternam, qvæ in iisdem habetur, & teſtimonium*, qvod de Chriſto perhibent, ad conſeqvendam per fidem in ipſum vitam, ἐρευνήσεις illâ indagemus, *Joh. V, 39.* non ut teſtimonia de *vitâ æternâ*, & de *Chriſto* vitæ æternæ autore, aut *fide in Chriſtum* præter-

Aut Chriſtū ipſum.

prætermittamus, vel ad alia qvævis detorqveamus. Non credidit certè Grotius, in Scripturâ Veteris Teſtamenti de *vitâ æterna* teſtimonia haberi, qvia Socini τῆς σκοτεινῆς opinionibus faſcinatus fuit: De *Chriſto* autem, *ut in eodem per fidem vitam æternam habeamus*, nec volam nec veſtigium reperire licet in annotatis Grotianis. Explicavit & Chriſtus *Scripturas V. Teſt.* ſed ita, ut demonſtrarit è *Moſe, Pſalmis & Prophetis* paſſionem & reſurrectionem ſuam. *Hæc ſunt*, inqvit, *verba, qvæ loqvutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum, qvoniam neceſſe eſt impleri omnia, qvæ ſcripta ſunt in lege Moſis & Prophetis & Pſalmis de me. Tunc aperuit*, addit S. Lucas, *illis ſenſum, ut INTELLIGERENT Scripturas, & dixit, qvoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieroſolymâ.* cap. XXIV, 44. ſeqq. Si verò Grotii gloſſæ obtineant, ne in *Pſalmis* qvidem & *Prophetis*, nedum in *Moſe* qvicqvam de paſſione & reſurrectione à mortuis Chriſti, ac præconio in nomine ejus, & initio ejusdem Hieroſolymis faciendo exhibebitur, qvia ſc. ſeries verborum & rerum ad tempora propiora ſpectat.

§. XVIII. *Totum* ergò *Vetus Teſtamentum* Judæis unicè relinqvendum, nihil de eodem ad nos ſpectabit, ſi paucula vaticinia, *tria* fortè vel *qvatuor*, de tempore adventus Meſſiæ ex- *Oſtenditur*
cipiantur. Qvid itaq; fiet *diſputationibus Chriſti & Apoſtolorum, veluti per* aut locis ab iisdem adductis è Veteri Teſtamento, qvæ ipſi de *ſaturam* Meſſiâ interpretantur? In ſpongiam incumbent, neq; illis con- *Grotiana* vinci Judæi poterunt, aut qvondam potuêre, ſi Grotium audias, *vaticinior* utpote qvæ de rebus longè aliis agant. Ne jam Angelus, *Matt. Propheti-* *I, 23. impletum* dicat, *qvod à Domino per Eſaiam dictum eſt, Ecce eorum per-* *virgo in utero habebit*: Non de *Chriſto virginis filio*, ſed de *filio verſio.* *Eſaiæ* id dictum fuit. Ne dicat, *adimpletum eſſe, qvod per Prophetam* Eſaiam *de terra Zabulon & Naphthalim & Galilæâ gentium dictum eſt*, cum Chriſtus in fines illos pervenit ibiq; prædicare cæpit. Non illa, ſed *Ezechiæ tempora* reſpexit Propheta, & liberationem à *Senacheribo*: Non Chriſtus, ſed *Ezechias* eſt *puer*

ille natus, consiliarius (Grotius pervertit *consultor*) *Deus fortis*, (per Grotii σφεβλότητα legendum *Consultor Dei fortis*) *Pater æternus.*

§. XIX. Ne testetur *Matthæus cap. VIII, 17 Esaiam* de Christo loqvutum esse, cùm nostros ipsum portasse dolores cecinit *c. LIII,4.* aut *Petrus*, Christum esse, *cujus livore sanati sumus, in cujus ore dolus non inventus est*, Epist. II, 22. 24. aut *Marcus*, Jesum illum esse, qvem prædixit *inter sceleratos reputatum iri* c. XV, 28. neq; de Christo hæc explicet *Philippus* Act. VIII, 32. qvia de *Jeremiâ* vaticinatus ibi est Esaias. Neq; est, qvod tàm prolixè â Christo impletum dicat *Matthæus* c. XII, 18. *Esaiæ* vaticinium, de *servo non contendente, judicium Dei gentibus manifestaturo, in cujus nomine sperabunt gentes*, c. XLII, 1. De seipso enim vaticinatus est Propheta: aut qvod *Zachariæ* Prophetiam c. IX, 9. de *ingressu Christi super asinum* adducat, cum *Matthæo* c. XXI, 5. *Johannes* c. XII, 15. de *Zorobabele* enim hæc accipienda sunt; aut qvod uterq;, *Matthæus* c. XXXII, 35. & *Johannes* cap. XIX, 21. cum *divideretur vestimenta Christi*, *Davidis* prophetiam Psal. XXII, 19. impletam esse doceat, hoc enim de *Davide* ipso intelligendum est μεταφορικῶς, qvod *fortunas suas confiscatas inter se partiti sint, uti Latini spolium dicunt, de re qvâvis, qvum propriè spolia sint vestes.* Aut qvod S. *Johannes* c. XIX, 37. transfixionem Christi prædictam affirmet â *Zachariâ* c. XII, 10. *Noster sensus*, inqvit Grotius, *optimus est, configere Deum dicuntur, qvi eum probris lacessunt.*

§. XX. Neq; *Petrus* Act. II. cap. demonstrare potuit, vel *effusionem Spiritus Sancti* super Apostolus factam â *Joële* c. II, 28. prædictam; vel *resurrectionem Christi* è Davidis vaticinio, Psal. XVI, 8. qvod *sanctus Dei corruptionem videre non debeat*; vel testari, Actor. III. cap. qvod *Moses* prædixerit, *Messiam ceu magnum Prophetam* è fratribus Judæorum excitatum iri, Deuter. XVIII, 15. *Joël* enim de *Esaia & aliis Prophetis* loqvitur. *David* de *se ipso* agit, *Moses de Prophetâ qvocunq; excitando, ubi magna necessitas aut evidens utilitas id exegerit.* Neq; urgere potuit apodixin suam cum *Petro* Act. II, 29. Apostolus gentium,

cap.

cap. XIII,36. qvod David viderit omninò corruptionem, adeoq; de Messiâ, non de seipso loqvutus sit. *Sensus enim hic solùm est non fore potestatem Sauli interficiendi Davidem.* Non provocare poterunt Paulus & Barnabas, c. XIII, 47. *Dominum sibi mandasse, ut convertantur ad gentes*, cum per *Esaiam* prædixit c. XLIX, 6. *Christum fore lumen gentium.* Testatus enim *de semetipso Esaias est, se qvoq; plurimos gentiũ conversurum.* Neq; confirmare Apostoli in Concilio Hierosolymitano Act. XV,16. vocationem gentium ex *Amoso* c. IX, 11. *Tabernaculum enim David, qvo de agit, in Zerubabele jam suscitatum fuit.* Neq; est, qvod provocent *Marcus* c. I, 3. aut *Lucas* c. III, 4. ad *Esaiam* c. XL. qvod de Johanne cecinerit *in deserto* prædicaturo. *Monuit* saltim *Prophetæ, ut illi, qvi exilii tempore victuri essent Prophetæ clamarent, utq; in deserto viam pararent Domino.*

§. XXI. Sed & Christo ipsi tacendum erit, ne Matth. XXI, 47. dicat, se esse *lapidem, qvem Architectos, Pharisæos & Sacerdotes reprobaturos* prædixerit David, Ps. CXVIII,22. qvum *de seipso reprobato à Saule, & aulâ ejus loqvutus sit*; aut (Luc. XXI, 37.) se esse illum, qvi, *Esaiâ* c. LIII, 12. vaticinante, *inter sceleratos reputandus* fuerat, qvia de *Jeremiâ* accipi debent verba Prophetæ; aut (Matth. XXVI, 21. Marc. XIV,27.) *Pastorem* qvem *Zacharias* (c. XIII, 7.) præcidixit percutiendum, *hic enim Judas est Maccabæus, qvi in prælio cum Bachide interiit.* Ne exclamet (Luc. IV, 18.) lecto vaticinio Esaiæ (c. IV, 1.) *Spiritus Domini est super me, hodiè impleta est hæc scriptura in auribus vestris. De se enim ipso loqvutus est Esaias.* Et qvid tandem supererit in Scripturis Propheticis, qvod de Christo & temporibus Veteris Testamenti agat, si ea, qvæ luculentissimè Christus & Evangelistæ, qvæq; Apostoli Christi explicarunt, ejusmodi commentis in sensum planè alium detorqveantur? Judicet æqvus lector; huic enim judicium permittit Grotius: annon hoc sit præferre glossas infidelium Judæorum Christi & Apostolorum sententiæ, h. e. *tenebras luci, Belialem Christo?*

§. XXII. Nimis ergò sibi blanditus fuit Grotius συνεχείᾳ abs se excogitatæ pulchritudine, ut eam glossis suis fundamenti

menti instar, supposuerit, qvum facilè sit, ubi de *subjecto & materiâ*, qvam vocant, *substrata*, ex ore Christi & Apostolorum, imò ex emphasi etiam oraculorum Spiritus Sancti, certi sumus, *Exceptio de sensu involuto.* συνέχειαν textus monstrare. Neq; verò sufficit ad explicationem Christi & Apostolorum sustinendam, qvod statuat Grotius, *vaticinia illa involutam habere figuram Christi & Evangelicorum temporum, Deoq; non per verba tantùm, sed & per res nobis Messiam & beneficia ejus exhibere.* Qvia è *figuris solis* demonstratio invicta peti non potest; peribit ergò vis probationum Christi & Apostolorum: neq; ut *typi* adducuntur ista, ut cum Agnus paschalis, & alia ceu typi sistuntur, sed ut *vaticinia*, qvæ de *Christo* agant, *inq; eô impleta sint*: non in *rebus* tantùm *ipsis figuram inesse* Christus docet, uti cum *figuram in Jona involutam* ipse evolvit, aut Apostoli, siqvidem verborum & vaticiniorum sensum proprium urgeant: qvi si alios concernat, non Christum, ceu falsa *reprobari* poterit eorum interpretatio. Triumphabunt ergò hostes Christiani nominis, *Julianus, Porphyrius, Lipmannus*, & similes! Si dicat, *mystico sensu illa ad Christum applicata esse, literali de alio loqvi*, ridebunt Judæi, aliiqve Christianorum hostes, mysticum sensum, typicamq; accommodationem loco *probationis solidæ, ac demonstrationis* semper adhiberi, nusquam Prophetarum *proprium* urgeri sensum, nusquam Prophetas de Christo vaticinatos esse, aut de beneficiis ejus, semper tantùm *typis & figuris rem involutam* esse, *& vitam adumbratam Sanctorum*, qvæ tamen adumbratio neq; tùm constiterit populo, aut è verbis factis vè haberi potuerit, neq; hodiè constare possit. Qvàm fortè nec Prophetis ipsis, qvi vaticinia illa protulére, tum cognitam, cum Judæis, qvorum placita libenter seqvitur, asseret Grotius. Cui ergò usui fuerat illa adumbratio! Tùm verò certum est, *unius dicti unum tantùm esse sensum*, eumq; *literalem ac genuinum*: plures sensus eodem dicto inferri, si cum *Papistis*, sensit Grotius, reclamat *natura vocum*, qvæ semel positæ in eâdem sententiâ unam eandemq; certam significationem obtineant, necesse est, qvia significatio est forma vocis, unam autem unius rei formam esse, indubium

ſbium eſt: Reclamat *intentio divina*, qvæ fuit certi qvid indicare oraculis ſuis, non verò ambiguam orationem aut ſententiam proponere, qvam poſſis aliter atq; aliter pro re natâ intelligere, imò debeas diverſimodâ ratione interpretari, ſemel de aliis, qvi olim vixâre, iterum verò de Meſſiâ; reclamat *ἑρμηνείας genuinæ ratio*: vi cujus ê contextu non niſi unica ſententia menti loqventis conſona eruenda eſt; Niſi fortè Cardinalis *Bellarmini* ineptiæ l. III. de verb. Dei cap. 3. placuerint Grotio, ut *Scripturæ, qvia Deum habet autorem, id proprium eſſe* crediderit, *uti plures contineat ſenſus, literalem & myſticum*, aut Capelli ſui Papizans hypotheſis in Critic. *Non video, cur negari debeat, Dei ſpiritum variis in locis (non ubiq;) non unum tantùm, ſed duplicem, aut verò triplicem etiam literalem ſenſum intendiſſe; hoc enim pertinet ad πολυποίκιλον ejus ſapientiam declarandam;* aut *Rabbinorum commentum. Nusqvam ſcriptura eſt absq; ſenſu ſimplici, ſed habet pariter uti myſticum, ita ſimplicem, his duobus non eſt, ut careat.* Scil. juxtà illud Salomonis *Proverb. XXV, v. 11. poma aurea in cancellaturis argenteis verbum dictum ſecundum ambas facies ejus.* Qvæ perſpicuitati & fini Scripturæ S. qvi eſt certos nos reddere de mente divinâ, penitùs repugnant. Ubi enim æqvivocatio, vel *ἀμφιβολίας*, ibi in diverſos ſenſus abripimur, nullamq; *βεβαιότητα* de ſententiâ certâ loqventis habere poſſumus. Et annon ita Chriſti & Apoſtolorum probationes planè inefficaces reddentur, ſi ex *ſolo figurato ſenſu* inſtitutæ, nunqvam è *literali propriâq;* oraculorum ſententiâ depromtæ ſint? Nota eſt *Irenei* ſententia lib. II. cap. 46. *Qvia Parabolæ poſſunt multas recipere abſolutiones, ex ipſis de inqviſitione Dei affirmare derelinqventes, qvod certum & indubitatum & verum eſt, valdè præcipitantium ſe in periculum & irrationabilium eſſe, qvis non amantium veritatem confitebitur?* Nota *Hieronymi* obſervatio Matth. XIII. *Nunqvam parabola & dubia ænigmatum intelligentia poteſt ad autoritatem dogmatum proficere.* Notum judicium *S. Auguſtini* Epiſt. XLIIX. ad Vincent: Donatiſt. *Qvis non impudentiſſimè nitatur aliqvid in allegoriâ poſitum*

ſitum pro ſe interpretari, niſi habeat alibi manifeſtiſſima teſtimonia, qvibus obſcura illuſtrantur. Qvos ſi audire noluiſſet, debebat ſolùm non dememinisſe regulæ *Thomæ part. 1. qvæſt. 1. artic. 10. ſolus ſenſus literalis eſt argumentatio*, qvæ axiomatis inſtar obtinet inter Pontificios, ut Bellarminus ipſe hoc ceu indubium ſupponat. CONSTAT, inqvit lib. III. de V. D. cap. 3. *inter nos & adverſarios, ex ſolo ſenſu literali peti debere argumenta efficacia*. Niſi ergò argumenta Chriſti & Apoſtolorum inefficacia dicenda, fateri oportet, ſenſum illum *literalem & proprium* fuiſſe, qvem urſiſſe & adhibuiſſe leguntur cùm in dictorum factorumq; confirmationibus, tùm in diſputationibus cum adverſariis. Qvod tota hactenus credidit Eccleſia, ſolus Grotius, etſi traditionem interpretem Scripturæ faciat, *Judæorum* hîc paſcitur commentis. Cujus ſtudium præcipuum id fuiſſe videtur, ut *Rabbinorum*, ſivè qvod in ſcriptis eorum ſe verſatum oſtentarit, ſeu qvod potiùs faſcinatus gloſſis eorum fuerit, interpretamenta Chriſtianis venditaret, & *traditiones* ipſas *Rabbinicas*, nonnunqvam etiam nugas *Talmudicas* potiùs, qvàm Scripturam ſuiipſius interpretem ἀνυπεύθυνον, in conſilium adhiberet. Ut ſaniores hîc è Judæis ipſis illi videantur, qvos קראים cæteri per contemtum vocant, *textuales ſcripturarios*, qvod miſſis traditionibus, & Thalmude, ſolam ſcripturam pro fidei fundamento admittant, legisqve expoſitionem ex ipſis legis verbis depromendam conſeant. Sed *Scripturarius* eſſe noluit Grotius: Qvod nobis inſtar criminis impingunt Papiſtæ.

§. XXII. At *Judæis convincendis vel pauca Chriſtum & tempus, qvo is venturus erat, directè deſcribentia, ſufficiunt.* Pauca omninò relinqvit Grotius: Vix *tria* vel *qvatuor.* E *Geneſi* unum, Jacobi vaticinium, è *Daniele* unum, de LXX hebdomadibus, unum ex *Haggæo* de altero templo, ut & è Malachiâ de prodromo Chriſti: Qvid verò aliis fiet Prophetis? Num illi muti de Chriſto fuére? Num *David de Meſſiâ Dei Jacob confirmatus* de Chriſto nihil, nihil *Eſaias*, ob illuſtria vaticinia *Evangeliſta* veriùs, qvàm

Pro-

Propheta habitus, nihil *Hoseas*, *Zacharias*, cæteriqve Prophetæ? Qvî ergò *OMNES* testimonium perhibuêre de Christo, qvod Petrus ait *Actor. X, 43.* Qvî *Moses & OMNES PROPHETÆ à Samuele, & deinceps, qvi loqvuti sunt, indicaverunt dies istos*, qvod idem Petrus coram Judæis, nihil illis reclamantibus, qvia indubitatum erat penes omnes, affirmavit, *Actor. III, 23*? Nec verò solùm Judæi convincendi de *tempore* adventûs Messiæ, sed de *miraculis*, *beneficiis*, *partibus officii*, & aliis notis & characteribus ejusdem.

§. XXIII. Si in his applicandis fallat aut inefficax sit Novi Testamenti Scriptura, Judæi in erroribus confirmabuntur, aut *advenisse* qvidem *Messiam* convincentur, minimè convinci poterunt, imò si omnia illa vaticinia de alio, qvàm Messiâ secundum literam agere credantur, falsitatis convincerent Christum & Apostolos, qvod ea in alium sensum abripuerint, nullumq; dictum pro se adferre potuerit Christus, nullum pro Christo Apostoli. Nec verô uspiam illa de tempore *Genes. XLIX. Dan. IX. Hagg. II.* adducta sunt in Novo Testamento. *Malachiæ* vaticinia *c. III. & IV.* adducta qvidem, sed pariter, uti Esaiæ Prophetia adducitur, ut è *Marco cap. I, 2. 3.* liqvet. Qvum ergò hæc sensu *literali* non agat de Messiâ, ejusq; prodromo, secundum Grotium, illa etiam ita accipi poterit, ceu non adducta, qvoad *sensum proprium*. Et annon parili facilitate in istis residuis Grotio vaticiniis Judæi poterunt fingere alium sensum literalem, ac verba imprimis *Malachiæ* vel *Haggæi* de alio qvopiam interpretari? Qvemadmodum vaticinium è Mose Jacobæum eludendi non exiguam præbuit ansam, cum vocem שילה imprimis respexisse *piscinam Siloah* contendit. Qvamvis & illa è Prophetis *Judaicis commentis* pervertat Grotius: dum in Danielis loco *Christum ducem* indigitari vult, *qvi populum ab impendentibus malis liberare debuerit, si ei paritum fuisset*, & in Malachia *dominatorem* ita explicat: *Ille promissus Siloh, qvi vo-*

Except. Grot: qvod Jesum tamen Nazarenum promissum illum Messiam esse, dæis convincendis sufficiant.

bis maxima bona etiam in ſtatu publico allaturus eſt, ſi ei parẽ-

Grotius in- *atis.* Qvæ uti ſomniis Judæorum de *terreno* Meſſiæ re-

vaticiniis gno apertè favent, ita manifeſtum opidò eſt, *Judaizantem*

de adventu *Grotium* fundamentum Chriſtianiſmi maximè labefactare,

Meſſiæ Ju- ac ſi terrenum regnum & bona terrena promiſſa fuerint

daizat. per Meſſiam Judæis, ac promiſſa de Meſſiâ *hypothetica* ſo-

Fundamẽ- lùm, ac *conditionata* fuerint. Habent ergò Judæi, ſuæ

tum Chri- qvod prætexant ἀπιστίᾳ, etiam de *tempore adventus* Meſſiæ;

ſtianiſmi qvod promiſſus *Dominator politicus* nondum advenerit,

evertit. qvodq; promiſſiones illæ ſolùm *conditionatæ* fuerint, qvæ conditio qvum impleta non ſit â Judæis, non mirum eſſe, qvod dominator Siloh promiſſus non advenerit, vel planè adventurus non ſit, uti hodiè deſperati ex ipſis dicunt. Argumentum certè eorum ἀδιάλυτον. *Meſſias promiſſus eſt Dominator politicus, ſtatum publicum Judæorum reſtauraturus, ſub conditione, ſi illi parituri ſint.* Qvæ Grotiana eſt propoſitio. *Jeſus Nazarenus non eſt Dominator politicus, qvi proteſtatur, ſive parituri ipſi Judæi, ſive non, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo.* E. *Jeſus Nazarenus non eſt Meſſias promiſſus.* Euge, triumphate Judæi, magnum hyperaſpiſten nacti eſtis!

§. XXIV. Sed qvid mirum, Grotium per *hypotheſes* ità labefactare fundamentum Chriſtianiſmi, qvum directè *Scripturas Canonicas*, qvæ fundamentum ſunt fidei noſtræ, evertat. Si enim, ut poſtremo loco de libris, qvos explicandos ſumpſit, hîc in limine id obſervemus, qværatur, *qvidnam de autoritate eorundem habeat Grotius*, non credit utiq;, *omnes* illos â Spiritu S. profectos, qvos univerſa tales credidit Eccleſia. Evangelium ſanè *Lucæ, in voto* p. 136. *ſcriptum fuiſſe divino afflatu dictante*, inficiatur, hoc argumento, qvod *teſtium mentionem fecerit*, qvod prorſus futile eſt: qvia niſi afflatu Spiritus gubernatus fuiſſet, in teſtium delectu eorumq; teſtimoniis facilè errare potuiſſet, ideoq; omninò opus eodem habuit. Qvem verò *occultis ſtimulis Spiritus S. coactum & excitatum ad ſcribendum, Epiphanius* hæreſi LI, *Spirituq; cœleſti afflatum ſcripſiſſe* Titus Boſtrenſis affirmat; cujus etiam libros tota Eccleſia indubitatò pro canonicis ſemper habuit.

Neq;

Neq; unum Lucam in dubium revocat Grotius : negat *omnes libros, qvi sunt in Hebræo canone, dictatos à Spiritu S. vel opus fuisse, historias ab eo dictari.* Distingvit inter *afflatum divinum, & pium motum.* At *pio motu* scribunt multi; qvi in scribendo non sunt ἀνυπεύθυνοι, & infallibiles. Oportet ergô canone Vet. Testamenti excidere magnam librorum sacrorum partem. Ita historici libri in scripturâ sacrâ, imò & historiæ, qvæ aliis scriptis, utpote Esaiæ & Prophetis reliqvis, insertæ qvandoq; sunt, *pio* qvidem *motui* tribuentur, non autem *divino afflatui*, neq; in Canone locum habebunt. Unde non mirum, Criticam manum ita illis adhibere Grotium, virgulamq; censoriam, ac si in humanis versetur scriptis. Ut haud omninò alienus fuisse videatur à Capelli sui sententia, *non esse impossibile, imò fortè reverâ esse nonnulla hujusmodi in Scripturis* σφάλματα *leviora, qvæ vel ipsis sacris Scriptoribus (qvatenus homines infirmi fuére) tribuenda:* qvæ verò non satis congruunt alteri ejusdem Critici effato. *Non res duntaxat, sed & verba & phrases arcano Spiritus Dei motu atq; afflatu fuerunt Prophetis & sacris scriptoribus veluti dictata, seu inspirata. Insaniam, si aliter sentiam.* Neq; verò monitus de errore gravissimo Grotius, vel rationibus vel ipsorum etiam Ebræorum *R. Mosis Ægyptii, qvi omnes hagiographos* libros agnoscit *per Spiritum S. scriptos, aut Jachiadis, qvi Esdram librum suum & Chronicorum per Spiritum S. scripsisse* fassus est, autoritate, qvam aliàs magni facere solet, moveri potuit, qvin adhuc in *discussione*, scripto novissimo, Historicorum S. Codicis in dubium revocaret autoritatem Canonicam. Addidit imò etiam *morales sententias Ebræorum* (de Canone Ebræorum disputatio est) *utpote qvæ tales non sint; de qvibus dubitare nefas sit.* Qvibus conferenda ea, qvæ de *Proverbiorum libro* habet sub initium ejus; *videtur hic esse* ἐκλογὴ *optimarum sententiarum ex plurimis, qvi ante Salomonem fuére, scriptoribus, qvales* ἐκλογὰς *multi Imperatorum Constantinopolitanorum conscribi in usus suos fecêre.* Qvalia judicia, aut non multum absimilia de aliorum librorum plerorumq; consignatione in Codice sacro etiam tulisse legitur. Vix ergò media pars supererit in Canone, di-

vino scripta afflatu, qvam verò tàm infidâ manu tractat, *addendo, detrahendo, corrigendo, pervertendo*, ut nihil fermè divini in eâdem reliqvum esse, indubitatò credidisse, censendus sit. Nec verò puncta solùm vocalia in dubium revocat, literas, voces ipsas immutat, aut suspectas reddit, atq; scripturis sacris certitudinis parùm relinqvit; Qvas deniq; non multùm æstimasse hominem oportuit, qvum *Scripturam ad Dei voluntatem agnoscendam necessariam haud fuisse, neq; Apostolos mandato Christi scripsisse, multas etiam fuisse barbaras gentes, qvæ in Christum crediderint, sine CHARTA, & ATRAMENTO*, & qvæ alia ejusmodi Papistica ejus sunt emblemata, in novis. scripto *discuss. p 147.* professus sit. Ne dicam, qvod cum de Novi Testamenti Canone disputat, *qvæstionem de nudis historiis, neq; magni momenti esse, dicat, vera sint, qvæ narrantur talia, an non sint vera:* unde colligit Rivetus (dialys. p. 493) *perinde ipsi esse, an historiæ, qvæ in N.T. libris recensentur, veræ sint vel falsæ*, qvo pacto Evangeliorum sacrorum authentia planè evertitur.

MANTISSA.

PApistis procul dubio gratificatur etiam in eo *Grotius*, cùm *multas Pauli Epistolas periisse* affirmat, in Appendic. de Anti-Christ. Qvanqvam enim distingvendum sit inter *scripta sacra* à viris θεοπνεύστοις profecta, & *scripta Canonica* perpetuo Ecclesiæ Canoni divinitùs consecrata, nec, si scripta qvædam sacra Apostolorum perierint, de Canonicis Scripturis qvasdam desiderari, ilicò conseqvatur, imò agnoscant qvoq; è Papistis *Salmero* proleg. IX can. 4. *Stapletonus* de princip. doctr. fidei Controv. V. l. IX. c. 5. *libros Canonicos nullos*

nullos periisse, ne Ecclesia negligentiæ arguatur in depositofibi concredito : Solent tamen Pontificii pleriq;, tùm ut Canoni Scripturæ perfectionem derogent, qvæ verò non è *numero librorum*, sed è *voluntate divinâ, & sufficientiâ informationis*, *ac dogmatum* æstimanda, tùm in vilipendium S. literarum, contendere, non pauca è scriptis θεοπνεύστοις, imò è Canonicis qvoq; nonnulla intercidisse ; qvorum causam, qvantum potest, agit Grotius. Qvod ad *1. Corinth. V, v. 9.* non potest ex illo indubitatò colligi, Epistolam qvandam ad Corinthios perscriptam periisse, uti *Estius*, & alii nonnulli volunt. Inclinant qvidem eò cum *Ambrosiastro*, è Reformatis *Calvinus*, *Beza*, *Pareus*, *Marloratus*, *Drusius*, è nostris *Mylius*, *Æg. Hunnius*, *Luc. Osiander*, *Sal. Gesnerus*, *Dav. Rungius*, sed ita, ut eam Canoni Ecclesiæ perpetuo destinatam, adeoq; Canonicam fuisse, inficientur : qvo de in *Crit. sacro* egimus *p. 237.* Veteres tamen pleriq;, *Hieronymus*, *Theodoretus*, *Chrysostomus*, *Theophylactus*, suffragantibus *Erasmo* in Paraphrasi, *Sixto Senensi*, *Cornelio à Lapide*, *Tirino*, censent illam ipsam, qvæ tunc ab Apostolo ad Corinthios exarabatur, Epistolam ibi indigitari, cujus *versum 11. in hoc V. cap.* hîc respici haud abnuit *B. Balduinus* : neq; diffitetur *Beza*, ita *verba Apostoli accipi posse*. Qvod verò Grotius contendit, etiam Pauli *qvandam ad Thessalonicenses scriptam interiisse*, id merè precarium, atqve hactenus ne inter Papistas qvidem auditum est : neq; ullâ specie veri è *2. Thessal. II, 15.* elici potest, qvum ibi apertè designetur illa ad Thessalonicenses, qvam tota Ecclesia Christiana pro *primâ* agnoscit. Qvod Epistolam secundam ad Thessalonicenses non multò post initia principatus Cajani scriptam, inq; eâ de Cajo nonnulla prædicta, tùm ordine temporis illam posteriori priorem, imò anteqvam Paulus Thessalonicam venisset, & anteqvam adhuc ibi Ecclesia Christiana constituta esset, Epistolam ad ipsos perscriptam esse, affirmat Grotius, postulata sunt prorsus frivola, ob Anti-Christum fictitium Grotii excogitata : siqvidem è *2. Thessal. II, 2.* manifestum

sit,

sit, Epistolam, qvæ secunda habetur ac dicitur, omninô posteriorem illâ esse, qvæ in Canone sacro *prima* nuncupatur, eamq; post obitum Caji, ad Ecclesiam è Gentilismo ibi collectam, exaratam esse, ac penes totam Ecclesiam indubitatum hactenus id fuerit, priorem Epistolam, qvæ ita dicitur, verè primam esse ad Thessalonicenses, nec in antiqvitate vel vola vel vestigium supersit, qvod tres ad eosdem exaratæ fuerint, aut qvod prima interierit, qvodq; *posterior*, qvæ nunc habetur, *secunda*, & qvæ *prima* vocatur, *tertia* haberi debeat: Verba 2. *Thessal. III, v. 17.* ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ, non respiciunt qvasdam deperditas, sed superstites Pauli Epistolas. Tandem qvod pertendit *Grotius in Proœm. Epist. ad Ephes.* Epistolam *ad Laodicenses* periisse, id in gratiam *Vulgatæ versionis* fieri videtur: cujus ergô etiam comminisci non dubitavit, sine ullius Græci Codicis autoritate, *Coloss. IV, 16.* legendum esse τὴν Λαοδικείας *Laodicensium* (Epistolam) *qvæ sc. ad ipsos spectet*, in notis ad h.l. qvum constanter exemplaria omnia textus originalis legant τὴν ἐκ Λαοδικείας, qvemadmodum etiam habet *Syrus* Interpres, nec non ê Græcis *Chrysostomus*, & *Theodoretus*, unde Epistolam *è Laodiceâ* missam, non autem Epistolam qvandam *ad Laodicenos* Paulinam, qvæ interierit, intelligi fatentur *Gagnejus*, *Cornelius à Lap. Johan. à Gorcum*, qvod *Bellarminus* etiam in recognitione operum suorum agnoscere coactus fuit.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-641916-p0055-9

Lng VI 50 (1)

ULB Halle
003 507 629
3

f

Sb.

Rehm

VD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-641916-p0058-6

I. N. J.

COLLEGII BIBLICI ANTI-GROTIANI PRIMI

SUPER

ANNOTATA IN PENTATEUCHUM, ET LIBROS HISTORICOS V. T. GROTIANORUM, MAXIME IN LOCIS FIDEI, ET VATICINIIS PRÆCIPUIS,

ELENCTICA.

DISSERTATIO PRIMA ΕΙΣΟΔΙΟΣ

De Hugonis Grotii fide: & ratione, atq; indole Annotatorum ejusdem, adeoq; *fundamentis quibusdam Interpretationis Scripturæ S.*

Qvam DISPUTATIONIS ORDINARIÆ vicem
in Electorali Wittebergensi Universitate,
proposuit

ABRAHAM CALOVIUS, D.P.P. Pastor,
Consist. Adsess. & Elect. Saxon. Superintend. General.
RESPONDENTE
M. PAULO PHILIPPO RÖBERO, VVitteb.
Ecclesiæ Ortrantiensis Pastore, ac Inspectionis
Haynensis Adjuncto.

in Auditorio Majori ad diem VI. Maji.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
M DC LVIII